ANTONII LUISI
PRESBYTERI NEAPOLITANI

CARMINA

PARS PRIMA CONTINENS

EPIGRAMMATA

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ
ET HISTORIA VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

ADJECTO CARMINE

DE TRIUMPHO VERÆ RELIGIONIS

NEAPOLI 1834.
EX TYPOGRAPHIA FRATRUM CRISCUOLO.

AD STUDIOSAM IUVENTUTEM

ELEGIA

PRÆFATIO

Artibus ingenuis, studiisque dicata juventus,
Dulce decus vitae deliciumque meae,
Tu mihi adhuc posito juvenili aetate, fuisti
Sollicitudo animi, primaque cura mei.
Ingenii quantum brevitas, viresque sinebant,
Optavi studiis utilis esse tuis.
Tu spes una fori, nostrae spes una salutis,
Et tu spes nostrae relligionis eris.
Nam tu causidicos, medicos, sacrosque ministros,
Et nobis doctos tu dabis una viros.
At sis quantumvis docta, et studiosa juventus,
Ingeniumque colas viribus omne tuis;
Si tu dogmatibus falsis imbuta, tenebis
Per scelus omne ruens perditionis iter;
Tunc tibi, tunc reliquis tu pondus inutile facta,
Quae sperabamus, commoda nulla feres.
Commoda nulla feres? imo pestis publica facta,
Dicere quis poterit tristia quanta feres!

*

Tunc fur causidicus, factusque locusta clientum
Implebit saevis litibus omne forum.
Iustitiam argento judex dum vendit, et auro,
Divitis infelix victima pauper erit.
Negliget aegroti medicorum turba salutem,
Et medica solum quaeret ab arte lucrum.
Pestis erit populi, fuerit qui deditus Arae,
Dedecus et nostrae religionis erit.
Hinc ego sollicitus petii ut studiosa juventus
Discere prae reliquis dogmata sancta velit.
Relligio est etenim, sed vera, erroris et expers,
Et quam primo homini praebuit ipse Deus,
Quam Synai Moyses accepit vertice montis,
Et pro qua fecit maxima signa Deus,
Temporis et lapsu Christus firmavit et ipse,
In cruce cum Patri victima caesa fuit,
Quae fuit incolumis per tot discrimina rerum;
Semper et emergens tollit ad astra caput,
Quam populos cunctos docet et testatur ubique
Qui capitolina clarus in arce sedet,
Haec est religio virtutis semita verae,
Qua sine nemo potest ire salutis iter.
Hinc ego, (nam scio quid valeant humeri quid ferre recusent)
Ingenio promens non nova cusa meo,
At dicens quod Theologi dixere vetusti,
Ut verae assererent Religionis opus,

Quidquid sunt illi longo sermone locuti ;
  Inclusum paucis versibus hoc volui.
Historiae multae, totoque leguntur in orbe ,
  Multaque facta hominum scripta fuere libris.
Quisque at prae cunctis deberet volvere libros,
  Qui veram historiam religionis habent.
Continet ista Dei facta, et ter maxima signa;
  Nulla et lectori gratior esse potest.
Omnibus historiis haec est praestantior, unde
  Vivendi normam discere cuique datur.
Faederis historiam libros veterisque, novique
  Volvere si libeat, noscere quisque potest.
Sunt igitur veteris legis, praeclara novaeque
  Non pauca, at paucis versibus exposui.
Nullum Epigramma leges, quod non sententia
claudit ;
  Utilis haec omni, qui legit, esse potest.
Praeclari vates multos cecinere triumphos ;
  At quid dixerunt ? bella cruenta, neces.
Hostes relligio vicit, retulitque triumphos:
  Versibus hos volui concelebrare meis.
At quibus illa usa est armis, ut vinceret hostes?
  Virtutes omnes arma fuere sua :
At sine caede virum, nullos occidit et hostes,
  Hostibus atque ipsis utilis illa fuit.
Scribere quod melius potui sermone soluto,
  Ut vellem versu scribere causa fuit :

Quisque suos patitur manes, urgemur et omnes
  Diversis vitiis: hic magis, ille minus.
Ut facerem versus, invito at Apolline semper,
  Stultitiae genus hoc est mihi sorte datum.
Venerit et quamvis tardo pede curva senecta,
  Quamvis est canum crinibus omne caput;
A me discessit nondum phanaticus error,
  Et mihi adhuc vati saevus Apollo furit.
Scribere cur volui versus sermone latino,
  Scribere quos melius debueram Italico?
Nam latius sermo paucorum est dentibus aptus,
  Nec nostro saeclo lingua latina placet.
Gallica lingua placet, solam hanc male docta juventus
  Addiscit, doctos haec facit una viros,
At numquam deerunt latii sermonis amici,
  Et, quamvis pauci, carmine nostra legent,
Praeterea multis annis, quo nescio fato,
  Namque suo fato nascitur omnis homo,
Non paucos docui linguae praecepta latinae,
  Et quae profecit plurima turba fuit.
Scribere et assuetus versus sermone latino
  Sermone hoc volui scribere more meo.
Non deerunt alii Italico sermone legendi
  Vates, est quorum maxima colluvies.
Hei mihi quot libri nostro scribuntur in aevo!
  Sub praelo sudat quanta caterva virum!

Ergo ego cum multis volui insanire poetis,
Et mea mandavi qualiacumque typis.
At quibus hos scripsi libros, quae scribere causa
Impulit auctorem, cui liber iste bono?
Ut tibi prodessem scripsi, studiosa juventus;
Est tibi prae cunctis utilis iste liber.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu, vates ut Venusinus ait.
Dogmatibus Fidei si primis te imbuis annis,
Haec impressa tuo pectore semper erunt.
Mature Fidei sanctissima dogmata verae
Imprime corde tuo, terque quaterque rogo.
Non ego philosophos volui emendare superbos,
Qui mea, nec dubito, risibus excipient.
Dogmata contemnent Fidei, dicentque cachinnis:
Hic etiam vatis nomen habere cupit.
Quidlibet at dicant, modo non sit prava juventus,
Et Fidei verae dogmata sancta colat;
Si modo virtutis juvenes documenta sequantur,
Et discant toto corde timere Deum,
Laetus ero scripsisse librum, meliusque putabo
Impendi tempus non potuisse meum.
Ergo tibi hos versus quoscumque dicabo, juventus,
Tu mihi libri hujus gloria semper eris.
Non ego scribendis libris compendia quaero,
Nec quaero docti nomen habere viri.

Cui dura est facies, et saxo durior ipso,
 Hic lucrum libris speret habere suis;
Namque alios precibus poterit qui cogere vendens,
 Ille suis libris quaerere lucra potest;
At me plus justo fecit natura modestum;
 Nec res ista meo convenit ingenio.
Ergo quisquis amat lucrum, vel nomen habere,
 Praeclaris libros dedicet ille viris;
Namque omnes quaerent, videant si in fronte libellum
 Inscriptum magni nomen habere viri.
Ergo legas istos versus, mihi crede juventus,
 Crede mihi, parient taedia nulla tibi.
Sermoni propriora loquor, parvoque labore
 Illorum sensum quisquis habere potest.
Non longum est carmen; levitas scio quanta juventae,
 Quam semper constans in levitate sua est.
Lecto uno, aut paucis, nam sunt epygrammata, cuncta
 E manibus poterit mittere quisque suis.
At scriptos, fateor, longo sermone triumphos
 Sub libri finem religionis habes.
Est longus sermo, at multi, variique triumphi;
 Et legere hos vario tempore quisque potest.
Accipe quos mitto versus, studiosa juventus,
 Ter bona, ter felix, ter memor esto mei.

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ

EPIGRAMMATA

I.

Characteres verae Religionis

Cum Deus omnipotens, nec sit sapientior alter,
Et cum nil melius sit bonitate Dei;
Vera est Relligio, sapiens qua cernitur ille,
Cernitur omnipotens, et Deus usque bonus.
Christi haec Relligio est, per cuncta simillima Patri,
Haec cum sit, prolem quis neget esse Dei?

II.

De Christi Religione

Cum Christi sit vera fides, erroris et expers;
Cur veram esse hominum plurima turba negat?
Isti homines luci fidei vel lumina claudunt,
Vel coeli angustam non placet ire viam.
Ast ego, Christe, fidem hanc fateor, semperque fatebor:
Lux vitae in tenebris haec mihi semper erit.

III.

Ex miraculis

Quis numerare potest portenta, et quanta fuere
Relligio Christi cum statuenda fuit!
Mortuus ad vitam subito revocatur, et aeger
Fit sanus, graditur claudus utroque pede.
At numquid poterant homines invertere cursum
Naturae, aut poterat falsa docere Deus?

IV.

Ex incendio Templi Hierosolymitani

Hostis erat saevus Iulianus apostata Christi,
Et fidei Christi bella cruenta tulit.
Hic Solymae templum voluit revocare ruinis;
Linquere at incoeptum flamma coegit opus.
Relliquias templi sic atrox flamma peredit:
Christi opus humanum quis putet esse fidem?

V.

Ex constantia Martyrum

Dulcis amor vitae est: hominum quod maxima turba
Pro Christi voluit Relligione mori,
Hoc fieri haud potuit, ni hominum qui pectora mutat,
Est Deus, aut homines maxima signa vident.
Ergo aut vera fides tanto est signata cruore,
Aut demens hominum maxima turba fuit.

VI.

Ex numero Martyrum

Quod perpauci homines, natura est ferrea quorum,
Et quorum est finem mors positura malis,
Quod tolerent mortem, nemo miretur, at illam
Quod laeti accipiant millia multa virum,
Hoc vere est mirum, hoc inter miracula scribe;
Hoc qui fecit opus quis neget esse Deum?

VII.

Ex conditione Martyrum

Quod fortis miles solitus contemnere mortem,
Nil metuat summum mortis obire diem,
Nil mirum: at quod tot pueri innuptaeque puellae
Pro Christi cupiant relligione mori,
Hoc est portentum, portenta quod omnia vincit:
Fecit opus tantum qui Deus omne potest.

VIII.

Ex martyrio Sanctae Agnetis

Prae reliquis Agnes tristissima quaeque ferendo
Ipsi carnifici digna stupore fuit.
Haec vix bis senos vitae compleverat annos,
Hei mihi pro Christo tristia quanta tulit!
Miratur tortor, constantia tanta puellae
Quod foret: humanum quis putet illud opus?

IX.

Imperitorum

Saepe sui vesanus amor, constantia vana
Philosophum cogit tristia quaeque pati.
Indoctum at vulgus, quod nunquam gloria vana
Urget, pro Christi Relligione nova
Quod mortem tolerare velit, saevosque dolores,
Hoc qui cernit opus, quis neget esse Dei?

X.

Philosophorum

Nec non philosophi multi, sapientia quorum
Per totum mundum concelebrata fuit,
Dogmatibus Christi captum superantibus omnem
Assensi Christi sustinuere fidem
Sanguine. Cum nostri contemnunt dogmata Christi
Philosophi, vitiis solvere fraena volunt.

XI.

Ex diuturnitate cruciatuum

Non semper gladio, et momento temporis uno
Martyribus Christi vita recisa fuit.
Saepe diu multumque pati tormenta coacti,
Et venit tardo mors inimica pede.
Saevitia aucta fuit, constantia Martyris aucta;
Vincere virtutem tristia nulla valent.

XII.

Ex atrocitate dolorum

Finge animo quodcumque potest, tristissima quae-
quae,
Verbera saeva, enses, suppliciumque crucis.
Finge animo fractas carnes, rabidosque leones,
Flammas, et frigus, vincula dura, famem:
Athletae at Christi constanter cuncta tulere;
Quis tantum robur praebuit? ipse Deus.

XIII.

Ex hostibus fidei Christi

Relligio est arbor, ramos quae spargit in orbe,
Radices coelo fixit at illa suas.
Ergo homines poterant aliquem praecidere ramum,
Radices altas caedere nemo potest.
Nil intentatum fidei liquere per orbem
Hostes; at fidei dogmata sancta manent.

XIV.

Ex propagatione

Relligio Christi se vix ostenderat orbi,
Cum breve post tempus subdidit omne sibi.
Debilibus mediis, interque obstantia cuncta
Currens illa sibi stravit ubique viam.
Credidit aut mundus cernens nova monstra; nec
unum aut
Vidit, at hoc inter maxima monstra fuit.

XV.

Ostacula huic propagationi
Sanctitas morum

Dogmata sectata est Mahumedis plurima turba :
Nil mirum : vitiis omnibus illa favent.
At quod sectetur sanctissima dogmata Christi ,
Quae vitiis cunctis bella cruenta gerunt ,
Hoc opus , hic labor est : in Christi dogmata Mundus
Credidit : humanum non fuit illud opus.

XVI.

Sublimitas veritatum

Quod saeclo Augusti ingeniis cultissima multis
Roma , quod et doctis Graecia culta viris
Dogmatibus credat , quae sunt impervia menti ,
Et superant quidquid philosophia docet ,
Portentum est , vincit portenta quod omnia : Mundus
Credidit : humanum non fuit illud opus.

XVII.

Praejudicia

Numina falsa deum terrae sternenda fuere ,
Et vincenda fuit falsa superstitio.
Saturnus , Mars, Mercurius , Neptunus , Apollo ,
Iuppiter , et Pluto , Iuno , Minerva , Venus ,

Relligio Christi haec prostravit numina. Mundus
Credidit : humanum non fuit illud opus.

XVIII.

Ipse Auctor

Invisus cunctis Iudaeus origine Christus,
Quem sua gens mortis credidit esse reum,
Non erat, at fabri est habitus vilissima proles
Ille novae inventor Relligionis erat.
Est Christi Mundus sectatus dogmata : Christo
Credidit : humanum quis putet illud opus?

XIX.

Principes saeculi

Multi hostes fidei Christi, infensique fuere,
Hos inter Reges primum habuere locum.
Arma, minae, promissa, neces, et turpis egestas
Oppositum a cunctis regibus omne fuit.
Relligio Christi reges superavit et ipsos.
At reges potuit quis superare? Deus.

XX.

Sacerdotes Idolorum

Turba sacerdotum qui numina falsa colebant,
Et quorum cultu quaestus et omnis honos,
Ut sibi consuleret pro diis pugnabat, et aris,
Atque hostes Christi Relligionis erat.
At nova Relligio Christi superavit et illos;
Et jacuere solo numina falsa deum.

XXI.

Ex Ipsis Iudacis

Iudaei ingrati, quorum de sanguine Christus,
Haec semper Christo gens inimica fuit.
Horrebant Christi doctrinam, nomen et ipsum,
Discipulosque suis finibus expulerant.
Quem sua gens sprevit, poterat ne aliena probare?
Ista probavit: opus quis neget esse Dei?

XXII.

Media ad propagationem fidei

Si quis forte Petrum Romam vidisset euntem,
Dixissetque illi: Quo celer ire cupis?
Diceret huic Petrus: Romam peto, dogmata Christi
Ut doceam, sternens numina falsa deum:
Ille huic: Consilium, stultissime, desere. Petrus
Numina stravit: opus quis neget esse Dei?

XXIII.

Pauci homines

Caeca superstitio totum diffusa per Orbem,
Et qua nil toto faedius orbe fuit,
Agmine vix multo sterni potuisset, et armis;
Multorum regum vix erat illud opus.
Pauci homines, et parva manus tantum ausa peregit,
Quodque peregit opus quis neget esse Dei?

XXIV.

Pauperes

Omne sibi quod obest regina pecunia vincit;
Atque auro durus rumpitur ipse lapis.
Discipuli at Christi poterant num vincere nummis?
Et poterant auro subdere cuncta sibi?
At dare quid poterant qui auro, argentoque carebant?
At vicere: opus hoc quis neget esse Dei?

XXV.

Imperiti

Vincuntur non raro homines sermone diserto,
Et dulce eloquium pectora dura movet.
At nemo illorum Christi qui dogmata Mundo
Tradiderant, doctus nemo disertus erat.
Illorum dictis Mundus sed credidit omnis:
Unde opus hoc factum? quis neget esse Dei?

XXVI.

Ignobiles

Quid possit nomen nemo est qui ignoret in orbe,
Fama volans hominum pectora saepe movet.
Discipulis Christi fuerat nec gloria famae;
Et nemo illorum nomine clarus erat.
Terra secuta illos, nec fama aut nomine claros.
Pectora quis poterat dura movere? Deus.

XVII.

Iudaei

Gens fuerat judaea rudis, virtute nec armis
Praeclara, aut orbi non bene nota fuit.
Discipuli Christi Iudaea a gente creati:
Omnes hos poterat maxima Roma sequi?
At cunctae gentes illos, et Roma secuta est:
Ecquis opus tantum non putet esse Dei?

XXVIII.

Ex praemiis quae Christi Religio promittit

Legum latores homines servantibus illas
Praemia proponunt, quae dare sola queunt.
Praemia sunt terrae; Deus at virtutis amicis
Praemia promittit, quae dare summa potest.
Relligio Christi proponit gaudia vitae
Aeternae: auctorem quis neget esse Deum?

XXIX.

Ex vaticiniis

Omnia de Christo veteres cecinere prophaetae;
Praedicta illius vitaque, morsque fuit.
Quod nato Bethlem Christo, nova stella niteret,
Quod Solymis dira morte necandus erat.
Omnia de Christo facta ut praedicta fuere,
Num praescire potest talia purus homo?

XXX.

Ex eversione Templi Hierosolymitani

Et Solymae, et templi, quo nil excelsius unquam,
Quod sternenda solo moenia cuncta forent.
Praedixit Christus, praecisa et tempora casus;
Et Solymae, et templum strata fuere solo.
Quis Christum verum esse Deum, verumque prophetam,
Et veram Christi quis neget esse fidem?

XXXI.

Ex sanctitate praeceptorum

Esse fidem Christi qui vult cognoscere veram,
Hic fidei Christi dogmata sancta legat.
Quam bene digna Deo, quae nos debemus et illi,
In nos, et reliquos quae facienda docet!
Nil melius dictum, nil est et sanctius illis:
Talia num poterat dicere purus homo?

XXXII.

Ex praecepto humilitatis

Sola hominis culpa est, quid homo nisi pulvis et umbra?
Et bona debet homo cuncta referre Deo.
At nemo hoc docuit rationis lumine ductus,
Nemo bonum quod agit credidit esse Dei.
Sola fides Christi nihili primordia nostri
Monstrat, sola jubet cuncta referre Deo.

XXXIII.

Ex praecepto sui abnegationis

Est radix omnis culpae perversa voluntas :
  Huic fraenum injiciat qui cupit esse bonus.
Nemo quantumvis sapiens hoc jusserat unquam,
  Nemo voluntati ponere fraena suae.
Sola fides Christi verbis patefecit apertis ,
  Quae sit origo boni , quae sit origo mali.

XXXIV.

Ex praecepto dilectionis inimicorum

Sit quod homo benefactoris, quod amicus amici,
  Hoc facile est cunctis : ethnicus ipse facit.
At quod amet vere a quo accepit tristia damna,
  Atque illi faveat qua ratione potest,
Hoc opus , hic labor est , haec nimium ardua virtus :
  Hoc qui praecipiat quis neget esse Deum ?

XXXV.

Ex consilio evangelico Castitatis

Quod sit homo virgo verae virtutis amore ,
  Non quod natura frigidus ille manet ,
Hoc est in terris caelestem ducere vitam ,
  Hoc nemo faciet ni Deus ipse juvet.
Sola est Relligio Christi quae hortatur ad illud;
  Praeceptum hoc Christi quis neget esse Dei ?

XXXVI.

Paupertatis

Quod sit homo pauper verae virtutis amore,
Non quod natura plumbeus ille manet,
Naturae haec virtus fines supereminet omnes;
Hoc toto est terris vivere corde Deo:
Sola est Relligio Christi quae hortatur ad illud;
Consilii auctorem quis neget esse Deum?

XXXVII.

Obedientiae

Quod sibi quis moriatur adhuc dum corpore vivit,
Sitque voluntati subditus alterius.
Haec summa est virtus, hoc vere est vincere semet,
Hoc est quod frustra philosophia docet.
Sola est Relligio Christi, quae hortatur ad illud:
Consilii auctorem quis putet esse hominem?

XXXVIII.

Ex ipsis Judaeis

Gens Iudaeorum est totum dispersa per Orbem,
Et sceleris poenam monstrat ubique sui.
At servat nobis divina volumina legis,
Quae fidei Christi dogmata vera probant.
Quis neget esse fidem veram, et sanctissima Christi
Dogmata, quae Christo gens inimica docet?

XXXIX.

Ex testimonio Iosephi Hebraei

Vir fuit hebraeus Ioseph doctissimus inter
Hebraeos, cujus nomen ubique sonat.
Hic dixit Christum clarum virtute fuisse,
Et tumulo egressum qui tumulatus erat.
Credidit at nunquam in Christum: cur talia dixit?
Non raro verum dicere lingua jubet.

XL.

Ex Atheorum confessione

Relligio Christi cum sit verissima, veram
Esse Atheistarum turba scelesta negat.
Illorum at multi sub mortem vera fatentur
Dogmata, quae Christus tradidit ore suo.
Vis quanta est veri! haec mortalia pectora cogit
Dicere quod nollent: sic Deus ipse jubet.

XLI.

Ex ipsis Christi fidelibus

Plures cultores Christi, fideique Ministri
Hei mihi quot fidei tristia damna ferunt!
Exemplis, actisque suis conantur ubique,
Ut mundus Christi dogmata falsa putet:
Regnat at usque fides, et toto regnat in orbe;
Cur hoc? e coelo hanc sustinet ipse Deus.

XLII.

Ex Heroibus Christianis

Qui pro aliis fortes voluerunt perdere vitam,
Heroas jactat philosophia suos;
At sunt hi pauci: Christi sanctissima multos
Relligio hos peperit: quis peperisse neget?
Quae multos genuit verae virtutis amantes
Heroas, veram quis neget esse fidem?

XLIII.

Ex infelici fine persecutorum fidei.

Relligio Christi sponsa est carissima Christo,
Et pro qua voluit mortis obire diem.
Hanc homines quot quot sunt ausi laedere sponsam,
Solverunt sceleris tristitia damna sui.
Quis neget esse fidem veram quam Christus ab alto
Servat, et invicta sustinet usque manu?

XLIV.

Ex diuturnitate fidei

Dogmata Discipulis Christus quae tradidit olim,
Haec eadem semper dogmata vera manent.
Romanum imperium cecidit, rapit omnia tempus:
Saecla fidem Christi vincere nulla valent.
Cur manet haec semper? falsum mutatur in horas;
Quod semel est verum, quod fuit usque manet.

XLV.

Ex unitate fidei

Dogmata quae Romae toto creduntur in Orbe,
Omnibus est unus Christus et una fides.
Qua boreas oritur, qua auster, qua surgit ab oris
Eois, qua Sol vergit ad occiduum,
Omnibus una fides: at cur concordia tanta?
Haec docuit Christus, qui Deus unus erat.

XLVI.

Ex ipsa Religionis Christi essentia

Relligio Christi cunctorum est apta saluti;
Et cunctis omni tempore praebet opem.
Quid jubet illa? Deum super omnia semper amare,
Et reliquos homines semper amare jubet.
Est nostris medicina malis: quae commoda tanta
Attulit, hanc veram quis neget esse fidem?

XLVII.

In sectas

Non paucae sectae toto versantur in orbe,
At Christi fidei quis putet esse pares?
Quae tantos numerat vates, miracula tanta,
Et quae virtutum dogmata cuncta docet?
At sicut falsum vero discernitur auro,
Sic veram Christi noscitur esse fidem.

XLVIII.

De unitate verae Religionis

Est si vera fides Christi, falsissima quaeque
Secta erit; hoc sapiens nemo negare potest.
Cum falso pugnat, nec vero opponitur unquam
Verum, quae pugnant an simul esse queunt?
Sunt fidei Christi verissima dogmata semper;
Ergo aliae sectae dogmata falsa docent.

XLIX.

In Judaeos

Ablatum est sceptrum Juda, templique superbi,
Quod Solymis fuerat, moenia strata jacent.
In Christo jam sunt impleta oracula vatum,
Jam Solymis Christus morte peremptus obit.
Quid vetat, o coeci Haebraei, vos credere Christum
Venisse? hoc omnis pagina sacra monet.

L.

In Mahumedanos

Infamis vitiis Mahumedis ubique per orbem,
Quis, modo sit sapiens, dogmata vera putet?
Conjugii sanctas leges qui sustulit omnes,
Omnia qui docuit furta licere suis,
Qui fudit sectam armorum terrore, prophetam
Hunc hominem pravum quis putet esse Dei?

LI.

In Acatholicos

Quod vetus est verum, quod semper ubique per orbem
Creditur, at verum quis putet esse novum?
Pontificis quotquot Romani dogmata spernunt,
Qui veteri fidei substituere novam,
Tempore apostolico dicant quae dogmata vera
Credita; quis verum credidit esse novum?

LII.

Inter Catholicismum, et Atheismum non datur medium.

Romanae hos inter, fidei qui dogmata credunt,
Atque Atheos inter quod medium esse potest?
Philosophus fidei romanae aut dogmata credat,
Aut his dogmatibus nolit habere fidem.
Est opus ut neget esse Deum, cum e pluribus illis
Quae sunt, philosopho nulla placere queat.

LIII.

Finis operis

Aut credis fidei romanae dogmata vera,
Et debes grates usque referre Deo:
Aut nondum credis, caecaque caligine mentis
Cingeris, et facias fervida vota Deo,
Ut quae vera fides doceat te luce superna;
Nam precibus justis annuit usque Deus.

VETERIS TESTAMENTI HISTORIA

EPIGRAMMATA.

I.

Mundi Creatio

Dicere fert animus Mundi primordia vera,
Quis molem hanc fecit, fecit et unde Deus.
Hei mihi quot nugas veteres finxere Poetae!
Versibus at legitur fabula nulla meis.
Quod scripsit Moyses, afflatus Numine scripsit:
Quis tanto historico nolit habere fidem?

II.

Deus Creator

Materiem aeternam plures dixere sophistae,
At nihil hoc dicto stultius esse potest.
Materiem ex nihilo natam dixere sophistae,
At nihilum quod erat qui sibi causa fuit?
Ergo Deus fecit: dedit et primordia Mundo,
Qui Deus omne potest, condidit ex nihilo.

III.

Creatio ex nihilo

Condidit omne Deus, sed qua ratione creavit,
Utque aliquid coepit quod fuit ante nihil,
Dicere quis poterit superat quod mentis acumen?
Hoc tantum dicam: condidit ex nihilo.
Ast opus omne Dei superat ni mentis acumen,
Nec tu vilis homo, nec Deus ipse Deus.

IV.

Dies Creationis

prima Dies

Prima dies haec est albo signanda lapillo,
Qua Deus hunc Mundum condidit ex nihilo.
At quae causa fuit, cur haec Deus omnia fecit?
Se propter fecit quidquid ubique vides.
Nos sumus ergo Dei: placeat si vivere recte
Vive Deo; vitae haec unica meta tuae.

V.

Secunda Dies

Quae primum fuerat rudis indigestaque moles,
Prima dies junxit, dividit ista dies.
Divisit sapiens Auctor Mare, Flumina, Terras,
Coelum, cuncta sub jussit et esse loco;
Ordine cuncta manent: cur excidis ordine culpis
Vilis homo, statuit quem Deus ipse tibi?

VI.

Tertia Dies

Tertia lux est, qua plantas, herbasque virentes
Jussit ut ipse Deus, pomaque terra tulit.
Sic herbae exornant terram, plantaeque virescunt,
Atque ferunt fructus tempore quaeque suo.
Plantae poma ferunt, Auctoris jussa facessunt,
Solus homo haud dubitat spernere jussa Dei.

VII.

Quarta Dies

Lucida materies totum diffusa per Orbem ,
Uno juncta loco sydera cuncta facit.
Quarta dies junxit, sol hinc splendescit in Orbe,
Lunaque , sic Coelo sydera clara micant.
Cum Solem , et Lunam , et pulcherrima sydera cernis ,
Dic tibi : quam cunctis pulchrior ipse Deus !

VIII.

Quinta Dies

Terra tulit plantas , fructus produxit et omnis
Arbor ; at in terris incola nullus erat.
Ergo Dei jussu sunt facta animantia cuncta ,
Quaeque habitant terris, aëre, quaeque mari.
Cuncta homini parent , cunctis animantibus ille
Jure praeest , homini sed Deus ipse praeest.

IX.

Sexta Dies

Rex deerat terrae , et cunctis animantibus ; ergo
Factus homo : hunc vidit surgere sexta Dies.
E limo fecit Deus , at mentem indidit illi ,
Qua verum , et summum noscat , ametque bonum.
Quaeret homo verum , atque bonum super omnia summum,
In mentem revocet quod sit imago Dei.

X.

Dies Sabati.

Fit requies cunctorum operum, Deus ipse quiescit,
Nil deerat terrae; fecerat omne Deus.
At bene cuncta Deus fecit, cernensque quod esset
Omne bonum factum, plausit et ipse sibi.
Et tu cuncta geras bene: sex operare diebus;
At sit cum veniet septima sacra Deo.

XI.

Hominis creatio

Fecerat omne Deus, Coelum, Terramque crearat;
At qui illum posset noscere nullus erat.
Ergo hominis fecit corpus, quae praebuit illi
Materiam formae, lutea terra fuit.
Corporis humani de luto membra fuere:
Quid lutum, et vilis terra superbit homo?

XII.

Animae Creatio

Particulam Divinae Aurae dixere poetae
Hunc, qui vitam hominis spiritus intus alit:
At fuit ex nihilo, Deus est qui condidit illum;
Ex nihilo, similem fecit at ille sui.
Hunc Deus infudit membris; sic vivere fecit.
Quam sunt digna Deo quae Deus usque facit!

XIII.

Evae creatio

Adae danda comes: levat hic dum membra sopore,
Ipsius e costa faemina facta fuit.
Hanc Adam vidit, sociali et faedere junxit;
Sic genus humanum crevit, et usque manet.
Praebeat auxilium domui, prolemque ministret,
At mulier sponso subdita semper erit.

XIV.

Pomum vetitum

Factus homo, et mulier fuerat, regique, Deoque
Parere ut Domino debet uterque suo.
Hinc pomum vetuit Deus: hoc ne carpite, dixit;
Qua vos carpetis, mors venit atra, die.
Est carptum pomum; placet hoc super omnia poma,
Ah cur semper homo nititur in vetitum!

XV.

Tentatio Evae

Non Adam astutus serpens tentavit, at Evam,
Quod foret haec sexu debiliore viro.
Cur vetuit Deus hoc pomum? pulchrum, aspice, dixit,
Pomum hoc qui comedit, par erit ille Deo.
Ne credas Satanae; semper mentitur, et ille
Usque hominum generi tristia damna parat.

XVI.

Culpa Evae

Jam pomum cernit mulier, pulchrumque videtur;
 Atque oculos pomo non movet illa suos.
Cur lapsa est comedens pomum? Quod Daemonis astus
 Non fugiens cum illo dulcia verba facit.
Insidias Satanae fugias, culpaeque pericla,
 Sic discas hostem vincere, victor eris.

XVII.

Culpa Adae

Victa erat insidiis, et pomum carpserat Eva;
 Vicit at insidiis faemina victa virum.
Quam pulchrum, haec dixit, comedas, ponasque timorem,
 Uxoris dictis victus et ille fuit.
Quod fuerat Satanas Evae, hoc Adae extitit Eva;
 Quam facile insidiis cedere faemineis!

XVIII.

Evae excusatio

Eva, Deus dixit, placuit cur carpere pomum?
 Num deerant horti plurima poma tibi?
Decepit serpens, dixit, me fraudibus ille
 Vicit, et ille fuit, non ego causa mali.
Qui peccat, doleat, culpam et fateatur oportet;
 Est venia indignus qui male facta negat.

XIX.

Poena Evae

Quod voluisti, inquit Deus Evae, carpere pomum,
Crimine pro tanto quae tibi poena datur?
Imperium perferre viri, partusque dolores
Debes. Haec culpae est debita poena tuae.
Faemina cum paries patienter ferre dolores
Debes; atque viro subdita semper eris.

XX.

Poena Adae

Quod mea sprevisti, Deus Adae, jussa, laborem
Usque feres; fructum nec tibi terra feret.
Angelus, his dictis, utrumque ejecit ab horto;
Atque iterum hac vetuit ponere sede pedem.
Otia ne quaeras, fugias cane pejus et angue
Culpas; sic Coeli janua clausa fuit.

XXI.

Poena Serpentis

A te decepta est mulier cur, perfide Serpens?
Serpenti fatus talia verba Deus.
Sub terra repes; mulier tamen altera surget
Fortior, atque tuum conteret illa caput.
At quae serpentem contrivit faemina plantis?
Quae peperit nobis intemerata Deum.

XXII.

Mors Abel

Occidit fratrem crudeli morte Cainus,
Et fratrem, quo non alter amabilior.
Invidiam ut pestem fugias; haec impulit illum
Sanguine fraterno contaminare manus.
Hei mihi! Qualis erit decursu fluminis unda,
Proxima quae fonti tam lutulenta fluit?

XXIII.

Causa Diluvii

Jam caro virtutis callem corruperat omnis;
Causaque culparum faeda libido fuit.
Proh stupor! e coelo nimius delapsus ab alto
Imber; aquis omnis naufraga terra fuit.
Virtutum pestis cunctarum est faeda libido.
Haec homini semper tristia damna tulit.

XXIV.

Arca Diluvii

Diluvio ne mersum hominum genus omne periret,
A Noaco facta est Arca, jubente Deo.
Pauci illic homines, animantia pauca fuere;
Sunt salvi quot quot condidit Arca Noe.
Cor Jesu nobis Arca est, portusque salutis:
Qui se illo potuit condere, salvus erit.

XXV.

Noe fabricans Arcam

Illusus cunctis Noacus dum conderet Arcam,
Est factus populi fabula stulta sui.
Condidit ille tamen, spernens vesana loquentum
Dicta, et perfecit quod bene caepit opus.
Quod debes facias, hominum convicia spernens:
Noli homines propter spernere jussa Dei.

XXVI.

Noe inclusus in Arca

Dum justus Noacus cum prole maneret in Arca,
Angusto spatio tristia multa tulit.
Ille tamen clausus patienter sustulit omne,
Ne posset summum mortis obire diem.
Mortis ut aeternae vites tristissima damna,
Dum tibi vita datur, tristia cuncta feras.

XXVII.

Diluvium

Undique Diluvium venit, cuncta imber inundat,
Et terra omnis aquis naufraga facta jacet.
Unde Sophi quaerunt cumulus tot venit aquarum?
Mirantur quod aquae copia tanta fuit.
Qui prius ex nihilo fecit Deus omnia; stultum est
Quaerere num terram mergere posset aquis.

XXVIII.

Columba missa ex Arca

Omni dum terra moles cessaret aquarum ,
A Noaco ex Arca missa columba fuit.
Ad Noacum haec rediens ramum portavit olivae ,
Laetitiae signum pacis et ille fuit.
Spiritus adveniens Patris ; specieque columbae
Cordibus hic nostris tristia cuncta fugat.

XXIX.

Iris

Placatus Deus est , posuitque in nubibus Arcum;
Foederis et pacis nuntius ille fuit.
Amplius haud terrae irascar , Deus ipse locutus
Iurat ; nunquam omnis terra tegetur aqua.
Virgo Dei Genitrix Iridis signata figura est ,
Haec nobis semper nuntia pacis erit.

XXX.

Ebrietas Noe

Fructibus e terrae vivens , agrumque colendo
Iam manibus vitem severat ipse Noe.
Ex illa fecit vinum , nimiumque bibendo.
Quod placuit , nolens ebrius ille fuit.
Parcendum est illi , damnanda at stulta voluptas
Prae vino errantes non bene ferre pedes.

XXXI.

Benedictio Sem.

Cur prae Iapheto voluit benedicere Semum,
Illi quid melius viderat esse Noe?
Post longam annorum seriem, post saecula multa,
Semi venturus germine Christus erat.
Quis benedicendus Christi nisi nomine? Christus
Est nobis omnis fons et origo boni.

XXXII.

Turris Babel

Turba insana hominum Divinam ut falleret iram,
Turrim altam ad coelos aedificare studet.
At Deus Omnipotens linguas confundit eorum,
Sic opus incaeptum pergere nemo potest.
Cui Deus iratus, se illi submittat oportet,
Non vi, sed precibus vincitur ira Dei.

XXXIII.

Deus loquens plurali numero

Confundens hominum linguas cur verba locutus
Plurali numero, qui Deus unus erat?
Ut scirent homines Deus est quod Trinus, et Unus,
Plurali numero verba locutus ait.
Cum plures audis tres crede existere in uno,
Cum Dominum, solum dixeris esse Deum.

XXXIV.

Hominum dispersio

Haec hominum turba est totum diffusa per orbem;
Hinc variae gentes per loca cuncta manent.
Relligio, forma imperii variatur ab illis;
Sunt varii mores, una at origo fuit.
Ergo sumus fratres omnes, qua nascimur una
Est mulier, cunctis et pater unus homo.

XXXV.

Vocatio Abrae

Abrae olim dixit Deus: hanc, qua, desere terram,
Nunc es, quoque velim, te decet ire viam.
Abram discessit, terramque reliquit avitam,
Protinus et voci paruit ille Dei.
Iussa Dei servare haec est sapientia prima,
Si tu vis sapiens esse, sequare Deum.

XXXVI.

Raptus Sarae

Visa fuit regi Aegypti pulcherrima Sara,
Et soror Abrami credita rapta fuit.
Attulit hic error regi tristissima damna,
Utilis Abramo plurima dona tulit.
Hei mihi nostro aevo quot munera, quotque fa-
vores
Uxores pulchrae conciliare solent!

XXXVII.

Melchisedech

Melchisedech rex pacis erat, sic nomine dictus,
Atque Sacerdotis munere clarus erat.
Obtulit hic panem, et vinum, benedixit et Abrae,
Cum partem praedae divitis iste dedit.
Rex pacis Christus, sub vini et tegmine panis
Se offert, Melchisedec verus et ille fuit.

XXXVIII.

Loth Abram deserens

Abramum Loth deseruit; Sodomitica terra
Illi prae reliquis optima visa fuit.
Attulit hoc illi vitae discrimina multa;
Uxor et immiti funere rapta fuit.
Si vitare cupis vitae discrimina, noli
Te sociare malis, et procul esse bonis.

XXXIX.

Incendium Sodomae.

Cum Sodoma, et vicinae urbes se crimine multo
Polluerant, Deus has perdere noluerat,
Si inveniat paucos justos, non invenit ullum,
Perdit at iratus, punit et igne reos.
Ignoscit Deus, at Divinam spernere noli
Iram, cum veniet quam gravis esse solet!

XXXX.

Abram orans pro Sodoma

Ob paucos justos, Sodomitae ut parceret omni,
Abram fundebat fervida vota Deo.
At nullum justum inveniens, ut vellet, in omnes,
E caelo mittit, punit et igne Deus.
Iustorum numerus divinam comprimit iram,
Et semper junctus profuit esse bonis.

XXXXI.

Peccata Sodomorum

Pulchra nimis, felixque fuit Sodomitica terra,
Incola et ex omni parte beatus erat.
Hinc virtute procul vitam ducebat ab omni,
Hinc praeceps carnis per scelus omne ruit.
Aerumnae sanant, corrumpunt prospera mentem,
Vae tibi si eveniant prospera cuncta tibi.

XXXXII.

Uxor Loth

Hinc fugias, Loth, et uxori, ne respice retro,
Dixerat, igne volo perdere cuncta, Deus.
Cepit uterque fugam, retro respexit at illa,
Et salis est instar facta, obiitque diem.
Faemina si prudens, inter miracula scribe;
Faemineos oculos quis cohibere potest?

XXXXIII.

Angeli duo fugientes e Sodoma

Non deerat Sodomae speciosa, nec una puella,
Impulit in binos faeda libido mares.
Hi cum non possent aliter vitare periclum,
Sollicili, et celeres arripuere fugam.
Cum tibi legitimo conjux sit faedere juncta,
Cur vis alterius contaminare thorum?

XXXXIV.

Praeceptum datum Abrae exeundi de terra sua

Iussit Abram Deus e patria discedere terra;
Protinus, et docilis paruit ille Deo.
Non quaerit causam, terra discessit avita,
Vixit et in terra, qua peregrinus erat.
Advena semper eris terrae, tua patria Coelum est,
Et toto semper corde sequare Deum.

XXXXV.

Praeceptum Circumcisionis datum Abrae

Se Iudaeorum debebat Natio circum
Cidere: sic Abram jusserat ipse Deus.
Cum venit Christus, lex haec ablata cruoris,
Cor circum et debet cidere quisque suum.
At sibi quid nam vult haec circumcisio cordis?
Vult animi vitiis ponere fraena tui.

XXXXVI.

Promissio Abrae facta benedictionis

Saepius ore suo Deus hoc promiserat Abrae:
Gens benedicetur semine quaeque tuo.
Abrae at progenies quid toto profuit Orbi?
Gentibus et cunctis quae bona magna tulit?
Est Abrae natus claro de sanguine Christus,
Hic cunctis populis attulit omne bonum.

XXXXVII.

Sara ridens ob promissum ab Angelo filium.

Iamdudum sterilis Sara et processerat annis,
At data spes illi, spem Deus ipse dedit,
Quod paritura foret natum: promissa loquentis
Excepit multis risibus illa Dei.
Sic faciunt scioli, fidei qui dogmata nostrae,
Quae superant mentem, risibus excipiunt.

XXXXVIII.

Sacrificium Abrae

Olim Abrae Deus: hunc, quem diligis unum
Tolle ait, et natum (sic volo) caede mihi.
Sustulit hunc Abram, quem dum mactare volebat,
Angelus e Caelo voce necare vetat.
Divinae legi qui praefert pignora cara,
Perfectus cultor non erit ille Dei.

XXXXIX.

Abram Angelos excipiens

Hospitii semper sanctissima jura fuere;
Gentibus hospitium praecipit ipse Deus.
Usque bonosAbram peregrinos dum excipit omnes,
Angelici hospitii dignus honore fuit.
Sit domus hospitibus tua clausa, et semper aperta:
Semper clausa malis, semper aperta bonis.

L.

Agar a Sara ejecta

Agar erat famula, at Dominus quia duxerat illam,
Uxorem, Dominae se putat esse parem.
Hanc Domina ejecit cum nato, huc dum errat et illuc,
Illa per ignotas cogitur ire vias.
Ignoscat Dominus famulis, sit mitis in illos;
At Domino famulus subditus esto suo.

LI.

Abram quaerens sponsam Isaach

Sponsa Isaach est per fidum quaesita ministrum,
Abrami: sponsa haec pulchra Rebecca fuit.
Est bona, non dives quaesita, et comis in illum,
Poscenti vellet quae dare fontis aquam.
Non dotem, at mores quaerenda in conjuge quaeras;
At sit pulchra etiam; pulchra Rebecca fuit.

LII.

Primogenita ab Esau vendita

Esau primus erat natus: sic ille minorum
Fratrum erat ut dominus, familiaeque caput.
Venit at esuriens ab agro, et pro lente minori
Ius hoc germano vendidit ille suo.
Cum peccant homines, quae sunt coelestia mutant
Terrenis, nihili et penditur ipse Deus.

LIII.

Benedictio Iacob

Callidus ut Iacob genitorem falleret orbum,
Pellibus haedinis induit ille manus.
Sic pater a Iacob deceptus praetulit illum
Majori, et Coeli munera cuncta dedit.
Dona patris Christus nobis ut posceret, usus
Humanae culpae vestibus ille fuit.

LIV.

Iacob praepositus Esau

Qui prior est natus praeponitur ille minori,
Et majus prior in tempore juris habet.
At major quamvis Esau post ponitur ille
Iacob; sic voluit qui Deus omne potest.
Qui Deus omne potest, quod vult facit omne, Deoque,
Cur sic fecisti? dicere nemo potest.

LV.

Odium Esau in Jacob

Esau major erat natu, hoc at vendidit ille
Jacob, jus ergo vendidit omne suum.
Oderat at gratis Jacob, qui cuncta ferebat,
Et nunquam fratri noxius ille fuit.
A vobis, justi, vis est odiumque ferendum;
Exemplo at Jacob discite ferre malos.

LVI.

Fuga Jacob

Esau quaerebat vesana percitus ira
Sanguine fraterno contaminare manus;
At Jacob cum non posset placare furorem
Illius, aufugit, deseruitque domum.
Objice te nunquam morti, culpaeque periclis,
Cumque fugam possis carpere, carpe fugam.

LVII.

Somnium Jacob

Dum Jacob fugiens Esau se servat ab ira,
Languida dum dulci membra sopore levat,
In somno Deus apparet, solatur et illum,
In se spemque bonam semper habere jubet.
Defice nunquam animo, dum te mala cuncta minantur,
Si Deus adjutor, nemo nocere potest.

LVIII.

Jacob excitatus a somno

Somno experrectus Jacob firmatus ab illo,
Quem vidit somno, nulla pericla timet,
Erigit et lapidem in titulum, sic construit aram,
Atque aram spargit desuper ille oleo.
Est lapis hic Christus, nostra huic spes nititnr, unxit
Hunc Pater, et Christi quam bene nomen habet!

LIX.

Scala Jacob

Conspexit Jacob, recreat dum membra sopore,
Scalam tollentem culmen ad astra suum.
Scandere caelestem turbam, et descendere vidit;
Hanc superumque cohors itque reditque viam.
Funde preces, superi tollent tua fervida vota
Ad Coelum, et referent munera cuncta Dei.

LX.

Lucta Jacob cum Angelo

Angelus in somno a Jacob pugnare videtur
Secum, et pugna atrox inter utrumque fuit.
Angelus a Jacob victus discedere pugna
Nititur, at Jacob non sinit ire viam.
Dimittit voti compos: oratio justi,
Cum fuerit. constans, vim facit illa Deo.

LXI.

Nuptiae Jacob

Sub genero Jacob bis septem vixerat annos,
Et fuerat nimio dulcis amore labor,
Duceret ut Rachel, quam denique duxit; at illam
Flore juventutis sustulit atra dies.
Omnia vincit amor; virtutis ferre laborem
Si vis, ex toto dilige corde Deum.

LXII.

Jacob mittens munera Esau

Jamque malis immunem Jacob se esse sciebat;
Esau ne timeas, dixerat ipse Deus.
Munera multa tamen mittens placare furorem
Germani dictis, muneribusque studet.
Sis ope Divina innixus; sed viribus uti
Ingenii debes: sic Deus ipse jubet.

LXIII.

Jacob dividens turmas

Esau dum metuit Jacob, ne perderet omne,
In partes turmam dividit ille duas.
In fratrem iratum pars si forte incidit una,
Altera pars poterit tristia nulla pati.
Quam prodest semper prudentia rebus agendis!
Quidquid agis virtus sit comes ista tibi.

LXIV.

Raptus Dinae

Cur Sichem rapuit Dinam? Cur illa pudoris
Amissi infelix tristia damna tulit?
Quod patrio imprudens voluit discedere tecto,
Matris et ex oculis illa remota fuit.
Hinc discant matres, quarum vigilantia rara est,
Ante oculos natas semper habere suas.

LXV.

Caedes Sichem

Finxerunt nati Jacob se ignoscere Sichem;
At servatum odium nomine pacis erat.
Ergo pater Sichem, Sichemque occisus ab illis,
Totaque crudeli morte perempta domus.
Cur domus haec omnis periit? Quae causa ruinae?
Causa mali tanti faeda libido fuit.

LXVI.

Judas differens nuptias filii Selae cum Thamar

Et Judae natus Sela, et male fervida Thamar
Optabant jungi faedere conjugii.
Distulit at Judas illos hoc foedere jungi;
Incaesti haec Thamar pessima causa fuit.
Poscenti sponsum renuis concedere natae?
Illa sibi hunc capiet quomodocumque potest.

LXV.

Judas volens punire Thamar

Polluerat Thamar turpi se crimine, jura
Laeserat et Judas sancta pudicitiae.
At Judas Thamar flammis punire volebat,
Dum culpae indulgens parceret ille suae.
Hyppocritae hoc faciunt, sibi qui sua crimina parcunt,
Afficere et poenis facta aliena volunt.

LXVI.

Somnium Joseph

Et Solem, et Lunam, bis sena et sidera Joseph
Se coram, flexo poplite, stare videt.
Somnia non audit Jacob, spernitque loquentem,
Et natum prudens increpat ille suum.
Somnia non audi semper, nec somnia sperne:
Non raro immittit somnia vera Deus.

LXVII.

Joseph quaerens fratres

Noverat invisum Joseph se fratribus esse,
Sollicitus fratres quaerit at ille suos.
Illos prosequitur fraterno semper amore,
Et fratrum dulci nomine saepe vocat.
Nos sumus ingrati Christo; at nos diligit ille,
Nec cessat fratrum semper habere loco.

LXVIII.

Joseph in cisternam

Cum Joseph in cisternam est demissus ob iram
Fraternam, exutus vestibus ille fuit.
Cisterna ereptus peregrinis venditus ille
A Rege Ægypti munera prima tulit.
Vestibus exutus Christus, positusque sepulchro,
Surrexit; Christo hinc gloria prima fuit.

LXIX.

Joseph venditus

Est odio Joseph, fratrum turba invidet illi,
Fratris et aspectum non bene ferre potest.
Caedere vult Joseph; peregrinis vendit et illum,
Et vix iratas abstinet inde manus.
Invidiam fugias, et fratrum haec pectus adurit.
Quam nocuit semper, quam male suada fuit!

LXX.

Joseph in domo Putipharis

Joseph ductus in Ægyptum, et Putipharis in aedem
Ingressus, domui commoda cuncta tulit.
Quam bene recta domus Joseph pendebat ab ore,
Quam procedebant ordine cuncta suo!
Grex Christi est felix, Coeli cum est munere missus
Pastor, commissas qui bene pascit oves!

LXXI.

Joseph tentatus a Domina

Formosum Joseph Putipharis viderat uxor;
Et jam vesano pectore vulnus alit.
At coram Domino Joseph admittere crimen
Noluit, et thalami contaminare fidem.
Quisquis praesentem Dominum sibi cernit ubique,
Hic fugit omne malum, dum facit omne bonum.

LXXII.

Castitas Joseph

Castus erat Joseph, dominaeque resistit amori,
Quae cupit incestu contaminare thorum.
Debuerat meriti, fuit haec at causa ruinae,
Et miseram vitam carcere clausus agit.
Heu quam saepe dolus, quam saepe calumnia regnat!
Quam saepe innocuus creditur esse reus!

LXXIII.

Fuga Joseph

Protinus aufugit Joseph, Puthipharis ab aede,
Se quamvis nullo crimine polluerat.
Praesentis dominae voluit vitare periclum:
Hinc statuit Joseph protinus ire viam.
Femineo a vultu nec virtus, curva nec aetas
Defendit: fugias, sit mora nulla tibi.

*

LXXIV.

Puthiphar deceptus ab uxore

Jamdudum fuerat Puthiphari cognita virtus
Joseph, cui dominus tradidit omne suum.
Debuit ergo illum, si mens non laeva fuisset,
Credere nullius criminis esse reum.
Credidit esse reum: sic illi dixerat uxor:
Quam stultum dictis credere femineis!

LXXV.

Joseph detentus carcere

Qui fuerat Joseph Puthipharis clarus in aede,
Carcere conjectus clarus et ille fuit.
Nam qui carceribus praeerat, qui novit et illum,
Imperium Joseph tradidit omne suum.
Sis virtutis amans, nam virtus vera beatum
Te faciet, quamvis carcere clausus eris

LXXVI.

Joseph explicans somnia

Carcere cum Joseph Pincerna, et pistor eodem
Conjecti fuerant, somnia uterque habuit.
Explicat haec Joseph. Pincernae prospera cuncta,
Pistori et misero tristia cuncta canit.
In Cruce latronem Christus manet inter utrumque.
Hic factus felix, at miser ille fuit.

LXXVII.

Pincerna oblitus Joseph

Pincerna ad veteres fuerat sublatus honores;
 Quem dixit Joseph, exitus ille fuit.
Cum tamen hic posset Joseph afferre levamen,
 Noluit ingratus ferre salutis opem.
Sors homines mutat, veteresque relinquit amicos,
 Qui prius in terra, nunc sedet altus equo.

LXXVIII.

Somnium Pharaonis

Ut clarum Joseph per totum redderet orbem,
 Immisit regi somnia magna Deus.
At cur hic fuerat totó celebrandus in orbe,
 Quid magnum in Joseph viderat ipse Deus?
Per totam vitam Christi fuit ille figura;
 Quid Christo ipse Deus majus habere potest?

LXXIX.

Joseph explicans somnia Pharaonis

Explicuit Joseph Pharaonis somnia magna;
 Miratus Pharao, talia fatus ait:
A me primus eris, primos et habebis honores,
 Et mea parebunt subdita regna tibi.
Reddat mercedem meritis, qui regna gubernat:
 Reddita virtutem praemia digna fovent.

LXXX

Joseph coram Pharaone

Non est inflatus Joseph quod regis ab ore
  Affectus multis laudibus ille fuit.
At, Deus est, ait, a quo omnis sapientia venit,
  Illi debetur, non mihi tantus honor.
Pro coeli donis nemo sibi sumere laudes,
  Accepta at debet cuncta referre Deo.

LXXXI.

Joseph exaltatus

Somnia rex habuit: sapiens quaesitus ubique;
  At sensum illorum dicere nemo potest.
Hunc dixit Joseph: primos concessit honores
  Rex illi, et regni munera summa dedit.
Ne timeas homines, esto virtutis amator;
  Est Deus, ille dabit praemia digna tibi.

LXXXII.

Fames per omnem terram

Ægyptum praeter frumento terra carebat,
  Et cogebatur quisque perire fame.
Ergo qui poterant, Joseph frumenta petitum
  Omnes mittebant, omnibus ille dabat.
Qui procul est Christo, cujus fuit ille figura,
  Hic velit, aut nolit, cogitur esse miser.

LXXXIII.

Discessus fratrum Joseph in Ægyptum.

Ad Joseph ierant fratres frumenta petentes,
Protinus at fratres noverat ille suos.
De patre dumque illos, minimo de fratre rogabat,
Hunc fratrum flexo poplite quisque colit.
Ne colerent vendunt fratres, mirabile dictu!
At cultus, quod erat venditus, ille fuit.

LXXXIV.

Fratres Joseph traditi custodibus

Conjecti fratres Ioseph in vincla solebant
Illi omnes secum talia verba loqui:
Haec patimur merito, in Ioseph quae fecimus olim,
Nunc luimus, venit vindicis ira Dei.
Cum Deus aerumnis meritis tua crimina punit,
Dic tecum: haec culpis debita poena meis.

LXXXV.

Reditus fratrum ad Ioseph

Frumentum ad Ioseph fratres rediere petitum,
His tandem Ioseph talia fatus ait:
Sum Ioseph, fratres, illosque amplectitur ulnis;
Et lacrymis oculos haud cohibere potest.
Ultio nulla fuit: verae virtutis amator,
Non punit, culpas, nec malefacta sibi.

LXXXVI.

Jacob ob Ioseph vivum

Iacob, ut somno qui est experrectus ab alto,
Quod dicunt falsum, somnium et esse putat.
Vivere non credit Ioseph, sed morte peremptum,
Cujus tincta ferae sanguine vestis erat.
Nunquam diffidas: coelo, qui cuncta gubernat,
Quo minime reris tempore, praebet opem.

LXXXVII.

Iacob laetus quod viveret Ioseph

Andivit Iacob Ægypto vivere Joseph,
Et solio positum regis habere locum;
Obstupuit, veluti somno experrectus ab alto,
Quae dicunt nati somnia ficta putat.
Multa tulit Iacob: nemo patientior illo:
Haec virtus illi gaudia summa tulit.

LXXXVIII.

Ioseph arcessens patrem

Esset cum Ioseph pastorum e sanguine natus,
Dum tota Aegypto munere primus erat;
Iussit in Aegyptum patrem fratresque venire,
Et nunquam erubuit rusticitate patris.
Quo magis es vili genitus de sanguine patris,
Si tibi sit virtus, gloria major erit.

LXXXIX.

Ioseph obviam patri

Ibat in Aegyptum Iacob, quem curva senecta
Presserat, atque ibat cum sene tota domus.
At quamvis foret ad primos evectus honores,
Non dubitat Ioseph obvius ire patri.
Sis quamvis magnus, sis clarus munere regis,
Dignum omni patrem semper honore puta.

XC.

Discessus, Iacob in Aegyptum

Ivit in Aegiptum Iacob: rex comiter illum
Excepit Pharao, et munera multa dedit.
Mecum eris, ille inquit, terram tribuitque colendam.
Pastor erat Iacob, pastor et usque fuit.
Non munus, modus implendi est laudandus, et ipsum
Pastoris munus, si bene munus obis.

XCI.

Iacob coram Pharaone

Aspicit ut Pharao Iacob, laude afficit illum,
Atque omni dignum credit honore senem.
Cur illum laudat, cur tantum praebet honorem?
Praeclari Ioseph quod pater ille fuit.
Ex nato patrem poteris cognoscere; Patris
Filius et sapiens gloria semper erit

XCII.

Iacob benedicens filios Ioseph

Manasses Iacob morientis parte locatus
 Dextra, alter laeva parte locatus erat.
Hunc Iacob dextra, laeva benedicit et illum;
 Et crucis in formam ponit utramque manum
E cruce descendit Christi benedictio nobis;
 In Cruce nostra salus, e cruce vita fuit.

XCIII.

Iacob benedicens Iudam catulum Leonis

Christus erat nobis venturus germine Iudae,
 Majori et Iudas dignus honore fuit.
Praedonem vocat hunc Iacob, catulumque leonis,
 Cum dormit Iuda, ut leo somnus erit.
Nos Christus rapuit Satanae: quis fortior illo,
 Cum vincens mortem, morte peremptus obit?

XCIV.

Iudas lavans vino stolam suam

Cum Christus nobis coelo descendit ab alto,
 Humanos artus induit ille sibi.
Haec Christi est vestis, Christi mundata cruore,
 Cum moriens Patri victima caesa fuit.
Hinc Iacob Iudae veraci dixerat ore:
 Quod vino illius stola lavanda foret.

XCV.

Oculi, et dentes Iudae

Praedixit Iacob, afflatus numine, Iudae,
Quod dixit Iacob, dixit et ipse Deus.
Quod tibi candidior dens omnis lacte futurus,
Pulchrius et vino lumen utrumque foret.
Quis magis est mitis Christo, quis pulchrior illo,
Sanguine cum sparsit lumen utrumque suum?

XCVI.

Vaticinium Iacob de Messia

Cum moriens Iacob benedixit quemque suorum
Natorum, Iudae talia fatus ait:
Donec mittendus veniat de femore, dixit,
Deficiet nunquam regia virga, tuo.
Defecit virga; ergo venit missus ab alto:
At vos Iudaei cur dubitatis adhuc?

XCVII.

Tumulus Iacob

Me, dixit Iacob, tumulo sepelite meorum;
Et tellus tumulo non decet ista meo.
Protinus ad tumulum nati duxere suorum
Iacob, adque suos apposuere patres.
Et post fata olim placuit concordia, vivo.
Cum patre nunc proles bella cruenta gerit.

XCVIII.

Nomen impositum a Pharaone Iosep.

Laudibus affecit Ioseph rex, dixit et illi :
Nunc Salvatoris nomine dictus eris,
Quod fame communi Aegyptum servaveris omnem,
Et fueris populi vita salusque tui.
Expressit Christum Ioseph : consentit et ipsum
Nomen; Salvator Christus et ipse fuit.

XCIX.

Timor fratrum Ioseph post mortem patris

Defuncto Iacob, jam fratrum quisque timebat,
A Ioseph culpae tristia damna pati.
Protinus at Ioseph illos amplexus in ulnis :
Quae vos vana, inquit, causa timere jubet?
Qui malus est inferre malum consuetus ubique
Damna timens de aliis cogitat usque malum.

C.

Servitus Aegypti

Dum premit Haebraeos Pharao per tristia cuncta,
Hebraei faciunt fervida vota Deo.
Exorant per nomen Abrae. Se praebet amicum,
Audit et illorum fervida vota Deus.
Quid si vota Deo facias per nomen Iesu?
Hoc magnum est nomen quod super omne valet

CI.

Numerus Haebraeorum in Aegypto

Iudaeus populus dum tristia cuncta ferebat,
Crudeli regis sub ditione gemens,
Imminui nunquam potuit; quin crevit in horas,
Et numerum illorum credere nemo potest.
Sic et Relligio Christi est vexata per orbem
Totum, cultores auxit at illa suos.

CII.

Obstetrices Aegyptiae

Sunt obstetrices Pharaoni falsa locutae,
Quas Pharao jussit morte necare mares.
Dicitur at laudasse illas non vera loquentes,
Illarumque domos aedificasse Deum.
Non dictum, at factum placuit: fallacia verba
Ne credas unquam posse placere Deo.

CIII.

Moyses Nilo expositus

Rex jubet infantes Hebraeos dejici in amnem;
Et Moyses ripae est fluminis expositus.
Audit vagitus infantis filia regis:
Accipit, et matri traditur ille suae.
Fortuitum nil crede, Deoque fit omne volente;
Sic populus tanto sub duce salvus erat.

CIV.

Rubus Moysis

Dum Moyses pascebat oves, ardere videbat
Rubum incombustum, dum furt ignis edax.
Accedit Moyses; at vox auditur ab illo:
Ne accedas; verba haec protulit ipse Deus.
Quid sibi vult rubus qui non consumitur igne?
Virginis et Matris rubus imago fuit.

CV.

Moyses electus dux populi

Dux Moyses populi, nec erat sermone disertus:
Si quaeris munus, nil nisi pastor erat,
Hunc tamen elegit Deus, atque ad maxima misit,
Suscipit ille tamen cuncta, jubente Deo.
Munere te crede indignum, sed suscipe munus,
Sit grave quantumvis, cum Deus ipse jubet.

CVI.

Moyses renuens imperium populi

Cui Deus imperium populi mandare volebat,
Hoc renuit Moyses suscipere imperium.
Atque ait ille Deo: Sum tanto indignus honore,
Nec gravis haec cura est viribus apta meis.
Vis fieri praesul? vel non vis munus obire,
Aut nescis tanta haec quid sibi cura velit.

CVII.

Moyses missus ad Pharaonem

Dic regi: qui est me misit dimittat et ille
Ut populum, Moysi dixerat ipse deus
Si quaerit signum, facies tu maxima signa:
Virgam, quam tua fert dextera, mitte solo.
Demisit Moyses virgam; haec fit maximus anguis:
Quid? Christi crucis haec virga figura fuit.

CVIII.

Moyses coram Pharaone

Exponit Moyses quae sit divina voluntas
Regi: audet Pharao spernere jussa Dei.
Maxima signa facit per virgam, spernit at illa
Rex durus, facta et daemonis arte putat.
Verba Dei quisquis non vult audire loquentis,
Non credit, quamvis maxima signa videt.

CIX.

Magi Pharaonis

Contemsit Pharao Moysis mandata loquentis,
Et dictis docilis noluit esse Dei.
At stultus magis, fuerint qui falsa locuti,
Credidit, atque homines praetulit ille Deo.
Saepe homo vult falli, non audit vera loquentes,
Et quae falsa videt dogmata, vera putat.

CX.

Cor Pharaonis obduratum

Iussa Dei sprevit Pharao, nec passus abire
Iudaeum populum, ut jusserat ipse Deus.
Sic male processit semper, sic durius ipso
Cor factum saxo, pejor et usque fuit.
Divinae voci quisquis parere recusat,
Paulatim praeceps in scelus omne ruit

CXI.

Plagae Aegypti.

Dum Deus Hebraeos vexat per multa flagella,
Cum coepit regem dextra ferire Dei,
Vult Pharao parere Deo, at cessante flagello,
Non vult, et semper durior ille manet.
Te peccasse piget, placet at cessante periclo
Pristina culpa: malus, vae tibi, finis erit.

CXII.

Tenebrae Aegypti

Mersa erat Aegyptus tenebris et nocte profunda,
Dum sol fundebat lumen ubique suum.
Cernere nil poterat, densaque caligine noctis
Ducebat tristes, et sine luce dies.
Lux mundi est Christus: quicumque recedit ab illo,
Infelix! coeli lumine cassus erit.

CXIII.

Locustae Ægypti

Magna locustarum Aegyptum diffusa per omnem
Vis erat, exsugens quidquid humoris erat.
Nil in seminibus succi, plantisque remansit:
Omne locustarum potus, et esca fuit.
Vae tibi si incessit pectus male suada cupido,
Virtutis tollet quidquid habere potes.

CXIV.

Fulmina, et grandines

Fulmina, tonitrua, et grando saevissima coelo
Depluit; Aegyptus territa cuncta fuit.
Fulminibus tactae plantae, vastataque tellus
Est omnis, dira grandine et herba virens
Vae tibi si peccas, in te descendet ab alto
Ira Dei, in miserum te mala multa pluent.

CXV.

Pestis

Aerumnas inter multas, et dura flagella
Aegypti, pestis maxima plaga fuit.
Haec homines multos, animalia multa peremit,
Et magni luctus maxima causa fuit.
Corporis, atque animi primaeva ab origine mundi
Culpa fuit pestis, tristia damna ferens.

CXVI.

Ulcera

Extendit dextram Moyses, cineremque camini
Sustulit in Coelum, et pulvis ubique fuit.
Turgentes hic vessicas, tristesques dolores,
Corporibus cunctis ulcera saeva tulit.
Est vitium morbus, morboque nocentior ipso;
Ulcera sunt animi luxuria, ambitio.

CXVII.

Muscae

Parvum animal musca est, sed morsu vexat acuto;
Nec raro nobis musca molesta fuit.
Maxima muscarum Aegyptum diffusa per omnem
Vis fuit, et cunctis causa doloris erat.
Puniat ut culpas muscis Deus utitur ipsis;
E muscis ipsis disce timere Deum.

CXVIII.

Aqua conversa in sanguinem

Est aqua prae cunctis rebus, qua vivimus omnes,
Utilis, et sine aqua vivere nemo potest.
Ad Moysis nutnm in rubrum conversa cruorem
Est aqua, et Aegypto defuit omnis aqua.
Cui Deus adversus, procedunt tristia cuncta,
Et dulcis manat sanguine rivus aquae.

XIX.

Agnus paschalis

Iudaeis Deus haec inquit : solemnia Paschae
Annua sint vobis, caesus et agnus erit;
Sanguine spargetis portas, comedetis et assam
Carnem, quod superest vivida flamma voret.
Est agnus Christus, qui culpa immunis ab omni
Pro nobis Patri victima caesa fuit.

XX.

Angelus occidens primogenitos Aegypti

Angelus Aegyptos occidit, filius ipse
Regis crudeli morte peremptus obit.
At quas signatas cernit, sparsasque cruore
Agni, Iudaeis abstinet a domibus.
Sic est : quid dubitas? Divini e vindicis ira
Signatus Christi sanguine tutus eris.

XXI.

Pharao insequens Hebraeos

Hebreus populus tandem, Pharaone jubente,
Discessit, celerem carpsit et ille fugam.
Mox Pharao insequitur fugientes percitus ira,
Agmine cum multo tristia signa gerens.
Cur rex mutatur? quod non virtutis amore,
Sed vi praecepto paruit ille Dei.

CXXII.

Caena paschalis

More viatorum, et lactucas inter agrestes
Agnus pascalis cur comedendus erat?
Agnus imago fuit Christi, qui ut crimina nostra
Tolleret, est Patri victima caesa suo.
Qui sumis Christum, in terris ne corde moreris;
Nec renuas terris aspera quaeque pati.

CXXIII.

Hebraei poscentes ab Aegyptis vasa aurea, et argentea.

Dux populi Hebreis dixit: pretiosa metalla
Poscite ab Ægyptis, sic Deus ipse jubet.
Ægypto populus discedens abstulit omne
Secum, nec dominis reddidit illa suis.
Cunctorum Deus est dominus, sic jusserat ille;
At nunquam credas furta licere tibi.

CXXIV.

Hebreei querentes de Deo

Dum Pharao insequitur populum, formidine mortis
Impulsus populus talia fatus ait:
Cur Deus Ægypto eduxit nos, numquid in illa,
Quo tumularemur, non locus ullus erat?
Diffidit populus dum tot portenta videbat.
Quam rara humano pectore firma fides!

CXXV.

Transitus Maris rubri

Miserat Hebraeos Pharao, misisse sed illos
Paenituit, magna persequiturque manu.
Hinc hostes, hinc aequor, iter quod praepedit illis,
Percutit hoc Moyses, finditur unda maris.
Si Deus est tecum, metuas discrimina nulla;
Salvus erit, salvus quem Deus ipse velit.

CXXVI.

Post transitum rubri Maris

Transierant mare Iudaei, jam salvus et omnis
Transactae narrat multa pericla viae.
Tum certant omnes condignas reddere grates,
Et resonat clarum nomen ubique Dei.
Ne cesses unqnam pro accepto munere grates
Reddere, majori munere dignus eris.

CXXVII.

Aquae amarae

Est questus populus quod aquam invenisset amaram,
A Moyse ista fuit lata querela Deo.
Mitte in aquam lignum hoc, Deus inquit, misit in illam,
Dux populi, et dulcis protinus illa fuit.
Si cruce te Christi, pateris dum tristia quaeque,
Firmes, evadent dulcia cuncta tibi.

XXVIII.

Vitulus aureus

Dum monte est Moyses, populus vino obrutus auro
Conflatum vitulum relligione colit.
Descendit Moyses, vitulum confregit, in amnem
Projecit, leges fregit et ille Dei.
Perdidit ebrietas legem, Moysisque labores.
Ah! quantum nimius potus, et esca nocet!

XXIX.

Lex Decalogi

Iudaeis lex lata fuit, praeceptaque vitae
In tabulis digito scripta fuere Dei.
At legis praecepta novae sunt pectore nostro
Insculpta, haec Christus sculpsit et ipse Deus.
Hebraeis Moyses, nobis Deus ipse locutus:
Vae tibi si spernis quae Deus ipse jubet.

XXX.

Modus acceptae legis a Iudaeis

nter tonitua, et fumum, atque in vertice montis
Lex data Iudaeis, quam Deus ipse dedit.
At nobis Christus dulci sermone locutus
Praecepta, et nos nil praeter amare docet
Si bene quid facias paenae formidine, nondum
Discipulus Christi es; Christus amare jubet!

CXXXI.

Primum praeceptum Decalogi

Si Deus est unus, si numina falsa Deorum,
Atque unus summo dignus honore Deus,
Quis neget esse Deum super omnia semper amandum?
Quis praeter verum Numina falsa colat?
Et tamen esse potest qui illum non diligit unum;
Numquid amore isto dulcius esse potest?

CXXXII.

Secundum praeceptum

Quod colit Infernus, superi venerantur et omnes,
Ad cujus nutum cuncta creata pavent,
Divinum nomen toto celebretur in orbe;
Hoc nomen frustra sumere nemo potest.
Arescat lingua, aut melius mittatur in ignem,
Quae in verum profert impia verba Deum.

CXXXIII.

Tertium praeceptum

Otia ne quaeras, et sex operare diebus:
Sit lux, cum veniet septima, sacra Deo.
Sit tunc divini cultus tua maxima cura:
Quod servile facit dextra relinquat opus.
Cultus at externus tunc vere proderit, illi
Internus cultus cum sociatus erit.

CXXXIV.

Quartum praeceptum

Cuncta Deo debes, post illum utrique parenti;
Dignus honore omni semper uterque parens.
Cuncta illi debes: verbis et rebus honora,
Et tua sint illi maxima cura senes.
Sic poteris felix longaevam ducere vitam:
Sic tibi de Coelo munera cuncta pluent.

CXXXV.

Quintum praeceptum.

Dulcis amor vitae, nihil est pretiosius illa;
Si tollis vitam, tollis et omne bonum.
Ne occidas hominem, Deus est qui solus in illam
Jus habet, et vitam tollere nemo potest.
Ne ferias hominem, sanguis qui funditur in te
Vindictam e Coelo postulat ille sibi.

CXXXVI.

Sextnm praeceptum

Corpora nostra Deus fecit, qui jungitur ulli,
Conjugii excepto foedere, maechus erit.
Nemo fidem thalami violet, nam foedere sancto
Junguntur sponsi, jungit et ipse Deus.
At nunc flens dicam, nobis mala tempora currunt,
Saepe vir uxorem fallit, et ista virum.

CXXXVII.

Septimum praeceptum

Ne laedas alium rebus, quas possidet ille;
Possidet ille suum, laedere nemo potest.
Si tibi quod satis est desit, ne surripe, posce,
Aut tibi quo vivas quaere labore manus.
At nunc res aliena placet, pariuntque labore
Divitias nullo furta, rapina, dolus.

CXXXVIII.

Octavum praeceptum

Fama bonum magnum est, civilis vita vocatur;
Deque bono curam nomine semper habe.
Alterius famam mordaci laedere dente,
Detegere alterius crimina nemo potest.
Quem laudare nequis, verbis hunc carpere noli;
At debes coram judice vera loqui.

CXXXIX.

Nonum praeceptum

Sancta Dei lex est; qui illam servaverit omnem,
Hic animo simul, et corpore sanctus erit.
Alterius bona ne cupias, nocet ipsa cupido;
Criminis esse solet causa cupido mali.
Principiis obsta, si animum tibi prava cupido
Occupat, a prava mente sequetur opus.

CXL.

Decimum praeceptum

Qui desiderium pravum compescuit, ille
Traduxit sanctos et sine labe dies.
Virtutum est pestis, vitioque nocentius omni
Quod desiderium prava libido parit.
Uxorem alterius qui animo maechatur amando,
Serius aut citius corpore maechus erit.

CXLI.

Tabernaculum a Moyse aedificatum

E tabulis Moyses sacram cum conderet aedem,
A populo melius quod fuit omne datum.
Dixerit ut Moyses: argento parcite, et auro,
Quod fuit oblatum, jam satis esse potest.
Divinus cultus sit vobis maxima cura;
Reddite magna Deo, nam Deus omne dedit.

CXLII.

Nubes operiens Tabernaculum

E tabulis Moyses sacram vix condidit aedem;
Cum nubes illum texit ubique locum.
Majestas Domini sic aede apparuit illa,
Sic Domini a cunctis gloria visa fuit.
In nostris templis non haec portenta videntur,
Ut meritum fidei majus habere queas.

CXLIII.

Ignis e coelo in holocaustum

Consumens holocaustum ignis descendit ab alto,
Cum mactata fuit victima sacra Deo.
Cur ignis venit? placuit quia victima: grata
Cur fuit? haec Christi victima imago fuit.
Ignis amor fuit, hoc Christus consumptus ab
igne,
In cruce cum Patri victima amoris obit.

CXLIV.

Moyses frangens vitulum aureum

In populum Moyses justa est commotus ab ira,
Quod vitulum ex auro fecerat ille sibi.
In minimas partes vitulus confractus ab illo,
In flumen jactus pulvis et ipse fuit.
Quod tibi causa fuit gravis, aut occasio culpae,
Ne tibi sit praesens, abjice, frange, fuge.

CXLV.

Caedes facta Judaeorum

Iratus Moyses vitulum quod fecit ab auro
Judaeus populus, talia fatus ait:
Qui mecum est fortis non parcat sanguine junctis;
Occidat quotquot morte necare potest.
Qui vere est justus, divinum et quaerit honorem,
Nec patrem, aut matrem praeferat ille Deo.

*

CXLVI.

Populus conspersus sanguine

Cum populum Hebraeum Moyses benedicere vellet,
Divinae legis cui modo jussa dedit,
Collectum populum vituli de sanguine sparsit,
Et pars templi omnis sparsa cruore fuit.
Quid sanctum in terris? Quis erit benedictus ab alto?
Qui lotus Christi sanguine mundus erit.

CXLVII.

Virga Aaron

Arida quae fuerat, praecisaque ab albore virga,
Una haec prae reliquis flore decora fuit.
Virga Aaron fuit, officii signabat honorem,
Prae reliquis esset quod sacer ille Deo.
Virga Maria fuit: verum de Numine Numen,
Quae peperit nullo contaminata viro.

CXLVIII.

Manna

Dum fame languebat populus, panemque petebat,
Fundebat Moyses fervida vota Deo.
Manna pluit coelo, populus saturatus ab illo:
Esca voluptatis plena saporis erat.
Manna fuit Christus, sumas si pectore mundo,
Delicias coeli dat cibus ille tibi.

CXLIX.

Judaei pertaesi Manna

Pertaesi Manna Hebraei, quod misit ab alto
Ipse Deus, gratus cui sapor omnis erat;
Quis dabit Aegypti, dixerunt allia? Manna
Pertaesus stomachus: quam levis iste cibus!
Sic est, saepe homines stulti coelestia spernunt
Gaudia, dum terrae fercula vana petunt.

CL.

Arca foederis

Foederis arca fuit, positum qua Manna, Deique
Leges, et quae Aaron florida virga fuit.
Quid quid erat sanctum arca servabatur in illa;
Nec res Judaeis sanctior ulla fuit.
Virgo utero Christum gessit, quid sanctius illo?
Illa fuit nobis foederis arca novi.

CLI.

Ignea columna

Ignea pellebat tenebras de nocte columna,
Effundens radios lucis ubique suae.
Sic populus securus abit per lumen ab hoste;
Ne tenebris noctis tenderet insidias.
In tenebris vitae ad divina oracula curras;
Nocte, dieque legas, haec tibi lumen erunt.

CLII.

Aeneum mare

Vas erat ante fores templi praegrande, quod aere
Conflatum fuerat, cui mare nomen erat.
Plenum erat illud aqua; hic plantasque, manusque lavabat
Qui voluit sacra ponere sede pedem.
Qui templum ingreditur, macula cor tergat ab omni
Nil juvat illoto corde lavare manus.

CLIII.

Mensa aurea

Aurea mensa fuit, positi sunt semper in illa
Bis seni panes; jusserat ipse Deus.
Nemo, sacerdotes praeter, comedebat ab illis;
At pura illorum debuit esse manus.
Escae, quam Christus praebet fuit illa figura,
Quam corde immundo sumere nemo potest.

CLIV.

Vestis summi sacerdotis

Pontificis summi gemmis ornata nitebat
Vestis, et ora omnis cincta erat aere cavo.
Sandaliis plantae ornatae, rutilisque lapillis,
Et fuerant clara tempora cincta mitra.
Vita sacerdotum sic commendabilis esto,
Ut virtute suum nomen ubique sonet.

CLV.

Scientia sacerdotum

Praecepit Deus ut sacrum qui munus obiret,
Quo recte posset munus obire suum,
Disceret ut recte immundis dignoscere munda,
Quodque foret sacrum, quaeque profana forent.
Incumbat sacris studiis qui addicitur arae:
Ni studeat, recte munus obire nequit.

CLVI.

Sacerdotes non usuri vino

Praecepit Deus ut functurus sive sacerdos
Munere quisque sacro, sive levita foret,
Ne biberet vinum omnino, biberetve liquorem.
Quemlibet, unde bibens ebrius esse potest.
Hei mihi quot vidi fungentes munere sacro
Prae vino errantes non bene ferre pedes!

CLVII.

Sacerdotes mundandi

Mundis munda decent: divina ex lege sacerdos,
Sive alter ferret qui sacra vasa Deo,
Ille lavandus erat, mundandus corpore toto,
Illoto vetitum tangere vasa sacra.
Vasa sacerdotes ferrent quod sacra lavandi,
Nunc Christum immundus tangit utraque manu.

CLVIII.

Sacerdotes excludendi a templo

Gibbos, et claudos, deforme et corpus habentes
Addictos arae noluit esse Deus.
Non decuit servire arae, regique superno,
Non bene constructo corpore quisquis erat.
Haec vitiorum animi sunt signa; sacrum ergo ministrum
Immunem vitiis omnibus esse decet

CLIX.

Sancta sanctorum

Pars templi interior, sanctorum sancta vocata,
Quod reliquis cunctis sanctior illa fuit,
Sanguine erat tauri semel haec conspersa per annum:
Pontificis summi haec maxima cura fuit.
Hic non delevit culpas, delevit at illas
Christus, et aspersit Sancta cruore suo

CLX.

Ignis perpetuus

Ignis erat templo, extinctus qui vespere facto,
Mane accensus erat, Pontificisque manu.
Hoc igne est ignis sumptus, cum jure ferebat
Turba sacerdotum thurea dona Deo.
In templum ingressus facies non irrita vota,
Si fervet sancto pectus amore tuum.

CLXI.

Condelabrum aureum

In medio candelabrum fulgebat ab auro
  Templi, cui septem lumina semper erant.
Extingui nunquam poterant haec lumina; cura
  Pontificis summi haec maxima semper erant.
Quid candelabri expressum per lumina? Legis
  Sacramenta novae, Christus et ipse fuit.

CLXII.

Caper emissarius

E grege qui fuerat captus semel hircus in anno
  (Hic fines extra, et moenia ductus erat)
Imposita et capiti illius sunt crimina cuncta,
  Pontificisque manu praecipitatus erat.
Qui fuit iste hircus? Christus, qui victima factus
  Imposuit capiti crimina nostra suo.

CLXIII.

Filii Aaron absumpti morte

Tres Aaron natos utentes igne profano
  Pro sacro e vivis sustulit atra dies.
Cervicis durae populum terrere decebat,
  Ut vellent omnes munus obire suum.
Dum nova lex viget, haud nos haec portenta videmus:
  At vae illi, sacrum qui male munus obit.

CLXIV.

Aaron vetitus plorare filios

Absumpti fuerant Aaron duo pignora cara,
Dum thus offerrent, sustulit una dies;
At vetitus genitor tanti dare signa doloris,
Officio indignus quod dolor ille foret.
Humanum est quidquid debet vitare sacerdos,
Debet et esse carens corpore corpus habens.

CLXV.

Aqua scaturiens de petra

Dum sitit ad mortem populus, quod deficit unda,
Vix Moyses petram percutit, unda fluit.
Iudaeis extincta sitis, bibit omnis ab illa,
Qua nunquam toto clarior orbe fuit.
Petra figura fuit Christi, nam exivit ab illo
In vitam aeternam fons salientis aquae.

CLXVI.

Igniti serpentes

Murmur erat populi, Moysen lapidare volebant,
At populo haec omni crimine poena fuit:
Serpentes Deus ignitos immisit in illum,
Qui fuerat morsus morte peremptus erat.
Aeneus at serpens fuit illis causa salutis:
Aeneus hic serpens in cruce Christus erat.

CLXVII.

Primitiae frugum Deo oblatae

Quod vivas vitam, fruges, et mitia poma
Quod tibi terra ferat, munus id omne Dei est.
Hinc merito i'le sibi servavit munera terrae,
Primitias frugum jussit et esse suas.
Dum nova lex viget, haud Deus haec sibi munera poscit,
Accepta at debes cuncta referre Deo.

CLXVIII.

Primitiae Deo oblatae hominum, et animalium

Aut homines fuerant, aut primo animantia nata,
Vulva quibus natis, matris aperta fuit,
Vita redempta hominum, sunt caesa animantia, asellum
At Deus oblatum noluit esse sibi.
Es rerum ignarus, pingui natusque minerva?
Ne sumas arae grande ministerium.

CLXIX.

In animantia munda, et immunda

Distincta immundis animalia munda fuere:
Offerri haec poterant, respuit illa Deus.
Quae ruminant ut oves quidquid fuit ante comestum,
Haec species inter munda relata fuit.
Qui verbum Christi meditatur corde frequenter,
Hic toto vitae tempore mundus erit.

CLXX.

Ignis victimam urens

Iam Moyses sacram Domino construxerat aedem,
Oblata et fuerat victima prima Deo.
Ignis tum venit coelo demissus ab alto,
Victima quo flammis tota perusta fuit:
At cur grata Deo? Christi fuit illa figura:
Quam gratus Christus debuit esse Patri?

CLXXI.

Tangentes mortuum

Defunctum vita si quis tetigisset, et aedes,
Qua fuerat quisquis morte peremptus erat,
Ille lavandus erat, domus et mundanda, modumque
Praescripsit Moyses, jussit ut ipse Deus.
Cur fuit immundus tetigit qui morte peremptum?
Mors primae culpae poena, et imago fuit.

CLXXII.

Conjugium vetitum cum colentibus idola

Hebraeos cum illis, colerent qui numina, junctos
Faedere conjugii noluit esse Deus.
Quod divum uxores colerent dum numina falsa,
Hae possent animos contaminare virum.
Uxorum virtus una est, et maxima dotum:
Hanc quaere, uxorem ducere quisquis amas.

CLXXIII.

De non alligando ore bovi trituranti

Dum bos frumentum triturat non ora ligabis
Illi, per Moysen dixerat ipse Deus.
Ut bos partem operis caperet, multique laboris,
Ut posset paleis exsaturare famem.
Qui altari servet de altare vivat oportet,
Et mercedem operis debet habere sui.

CLXXIV.

De relinquendis spicis tempore messis

Praecepit Deus Hebraeis, ut tempore messis
Pars fructus agri, et spica relicta foret.
Illos praeteriens pauper quo carpere posset,
Atque aliquem vitae posset habere cibum.
Dives agris, dives nummis, ni praebet egenis
Partem, Judaeo pejor habendus erit.

CLXXV.

De non maledicendo patre, vel matre

Plurima, quis dubitet? debemus utrique parenti;
Dignus honore omni semper uterque parens.
Hinc Deus Hebraeum damnavit morte, parentem
Qui alterutrum audaci laeserit ore suum.
Affice, si in terris longam vis vivere vitam,
Quo pater, et mater dignus honore fuit.

CLXXVI.

De mittendo servo

Praecepit Deus, ut servum si mittere vellet
 Hebraeus, cum illum mittere tempus erat,
Huic alimenta daret, vacuum nec mitteret unquam,
 Praeberetque viae quod satis esse potest.
Saepe aliis quod non debes (injuria summa
 Jus summum est) praebe: sic Deus ipse facit.

CLXXVII.

De accipiendo advena

Judaeo populo dixit Deus: advena venit
 Cum tibi, ne hospitii spernere jura velis.
Hospitio tibi opus fuerat per plurima lustra;
 Tu quoque in Ægypto nam peregrinus eras.
Conditione pares omnes natura creavit:
 Fac aliis semper quod tibi vis fieri.

CLXXVIII.

De non ponendo offendiculo coeco, et non illudendo surdo

Nemo aliquid coeco opponat, quo offendere possit,
 Et surdum verbis laedere nemo potest.
Praecepit Deus Hebraeis: augere dolorem
 Tristitiamque aliis maxima saevitia est.
Cum loqueris surdo: quae illi sunt vera loquaris,
 Et dux sis coeco, cum potes esse, viae.

CLXXIX.

De honorandis senibus

Est nobis, et ubique fuit veneranda senectus;
Curvaque digna aetas semper honore fuit.
Hinc Deus Hebraeos senibus consurgere coram
Jusserat, atque omni prosequi honore senes.
Cur nunc in scelus omne ruit vitiosa juventus?
Audet quod juvenum spernere quisque senes.

CLXXX.

De non opprimenda vidua, et pupillo

Qui miseram viduam oppressit, prolemque parente
Orbatam, vae illi, nam Deus ultor erit.
Jura Deus vetuit viduae, aut violare pupilli;
Vana nec illorum vox erit ante Deum.
Tu quantum potes et viduam, et defende pupillum;
Namque Deus reddet praemia digna tibi.

CLXXXI.

De non accipiendis donis a judice

Judicis officium exercens sit justus oportet;
Jus studeat semper reddere cuique suum.
Ne dona accipiat judex, nam munera mentem
Corrumpunt sanam; sic Deus ipse docet.
Cur a judicibus nunc jus violatur ubique?
Illorum est donis semper aperta manus.

CLXXXII.

De falsis testibus

Sub gravibus poenis mentiri judice coram
Non solum Hebraeos, at vetat usque Deus.
Per falsos testes vel poena plectitur insons,
Immunis poenis vel reus esse solet.
Quod verum esse putas tu coram judice dicas;
Non hominem, at verum respice: quidquid erit.

CLXXXIII.

Pondera, et mensurae

Quod justum est semper tribuendum cuique, nec unquam
Fallere mensuris, ponderibusque licet.
Hinc populoHebraeo, ne quemquam fallere posset,
Pondera, mensuras praebuit ipse Deus.
At nunc mensuras sibi quisque, et pondera praebet:
Et nunc vendendo regnat ubique dolus.

CLXXXIV.

Poena blasphemiae

Divinum nomen tollendum laude perenni,
Et summo est dignus semper honore Deus.
Hinc Deus Hebraeis statuit pro crimine tanto
Poenam, et blasphemus morte necandus erat.
Nunc poena afficitur nulla, quae tempora currunt!
Qui in nomen profert impia verba Dei

CLXXXV.

Leprosi

Judaeo fugiendus erat leprosus ab omni;
Nec poterat sacra ponere sede pedem.
Atque sacerdoti lepra mundatus ab omni
Debuit offerri: lex erat ista Dei.
Te a culpis munda, te sacro offerre ministro
Debes: peccati lepra figura fuit.

CLXXXVI.

Oratio Moysis in monte

Judaeus populus Domini dum praelia pugnat,
Vincitur, et vincit qui modo victus erat.
Ille hostem vincit, Moyses dum brachia tollit,
At cum dimittit brachia, victus erat.
Vincere vis satanam? Ad coelum tua brachia tolle,
Et toto vitae tempore funde preces.

CLXXXVII.

Fervor orationis Moysis

Vult Deus iratus populum punire flagellis;
At Moysis precibus vincitur ira Dei.
Me dele aut libro vitae, aut ignosce scelestis,
Orat: sic iram dimovet ille Dei.
Qui bonus est pastor cupit ipsam perdere vitam,
Si modo sit populi vita, salusque sui.

CLXXXIII.

Recursus Moysis ad Deum

Cur bene se Moyses gessit, populumque regebat,
Quem curae illius credidit ipse Deus?
Cuncta regens divino semper ab ore pependit,
Nunquam et poenituit consuluisse Deum.
Qui populos regis, ut possis bene munus obire;
Funde preces multas, consule saepe Deum.

CLXXXIX.

Moyses mansuetus

Mitis erat Moyses, quo nunquam mitior alter;
Hoc illi nomen praebuit ipse Deus.
In populum quamvis durae cervicis, ad iram
Est nunquam motus tristia quaeque ferens.
Qui gregis est Christi pastor, sit mitis oportet
Corde; bonus pastor sic gregis esse potest.

CLXL.

Poena Core, Datan, et Abiron

In Moysen movit populum Core, Datan, Abiron;
Qui Moyses fecit nomine cuncta Dei.
Protinus at miseri absorpti tellure fuere,
Haec fuerat culpae debita poena suae.
Plectetur poena qui in sacros verba Ministros
Profert; non hominem, laedit at ille Deum.

CLXLI.

Poena legentis spicas sabbato

Agro pauper erat quidam, qui ex more legebat
Spicas; sacra dies forte erat illa Deo.
Hunc vidit populus, Moyses pro crimine poenam
Decrevit: saxis obrutus ille fuit.
Quid fiet de illis qui sacra luce laborant,
Nec curant templi ponere sede pedem?

CLXLII.

Duodecim exploratores

Sunt bis seni homines promissam cernere terram
Missi; per Moysen miserat ipse Deus.
Quod falsum retulere, data illis debita poena,
Quod male sunt functi munere quisque suo.
Qui sacrum officium prodit, descendet in illum
Serius aut citius vindicis ira Dei.

CLXLIII.

Moyses creans synetrium

Non poterar Moyses solus persolvere munus,
Auxilio quamvis, consilioque Dei.
Hinc merito ille senes legit, qui semper adessent
Auxilioque suo, consilioque suo.
Consilium poscas, habitat sapientia recto in
Consilio; se ipsum fallere quisque potest.

CLXLIV.

Poena Mariae sororis Moysis

De Moysis factis germana Maria locuta est
  Non bene, cum populi dux erat ille Dei.
At Deus affecit poena, punivit et illam;
  Haec fuerat culpae poena luenda suae.
De vero qui pauca Deo, de principe nunquam
  Verba facit, poterit ducere pace dies.

CLXLV.

Promissa a Deò facta Hebraeis

Judaeis quisquis legem servaverat omnem,
  Promisit terrae praemia cuncta Deus.
At Christus terris dum tristia cuncta minatur,
  Promisit coeli praemia cuncta suis.
Est Judaeus adhuc terrae qui praemia poscit,
  Discipuli Christi nec bene nomen habet.

CLXLVI.

Mors Moysis

Quae fuerat tellus promissa optataque semper,
  Qua nunquam toto laetior orbe fuit,
Haec vetita est Moysi; deserto est mortuus ille;
  Defectus fidei causa perire fuit.
Quid dubitas? Deus omne potest; persolvit ut ille,
  Si non vis poenam solvere, crede Deo.

CLXLVII.

Mora Habraeorum in deserto

Sub Moyse est populus deserto lustra per octo
Detentus, sedes fixa nec ulla fuit.
Tristia multa tulit, multum sudavit, et alsit,
Hostibus infensis bella cruenta gerens.
Vita est desertus, quid frustra tempore vitae
Esse cupis felix, et mala nulla pati?

CLXLVIII.

Ingressus in terram promissam

Ingreditur populus terram; promiserat Abrae
Quam Deus; in votis hoc fuit usque suis.
Exierant hominum de Aegypto millia multa,
At duo de multis quod cupiere tenent.
Hei mihi quam pauci de tot tantisque vocatis
Post mortem coeli regna superna vident!

CLXLIX.

Terra promissa

Promissam ob terram, quod lacte et melle fluebat,
Quod laetas segetes haec inarata dabat,
Heu quot Judaei quantosque tulere labores,
Ut possint ista ponere sede pedem!
Pro vita aeterna, cujus fuit illa figura,
Pro coelo magnus quis labor esse potest?

CC.

Defectus Manna

Deserto egressi coeperunt frugibus uti
Hebraei terrae, fertilis illa fuit.
Tunc quod Manna pluit coelo per plurima lustra,
Defuit Hebraeis, qui cibus ante fuit.
Cum natura potest, naturae viribus uti
Debes, tunc stultum est quaerere prodigia.

CCI.

Poena Regis Basan

Et Moysi, populoque Dei pro viribus obstans
Hebraeis Basan bella cruenta tulit.
Hunc vicit populus, conjectum in vincla coegit
Criminis in poenam tristia quaeque pati.
Serius aut citius solvit pro crimine poenam,
Qui fidei Christi tristia bella gerit.

CCII.

Transitus Jordanis

Constiterat totus populus Jordanis ad undas:
Josue, quid dubitas? suscipe, dixit, iter.
Nil dubitans populus transit; siccatur aquarum
Moles, et caeptam perficit ille viam.
Defice nunquam animo, susceptum perfice cursum,
Ardua nulla time, cum Deus ipse jubet.

CCIII.

Post transitum Jordanis

Dux inquit populo: monumentum pone perenne,
Quod siccis pedibus transieris fluvium.
Paruit huic populus; lapides bis ponere senos
Constituit, fuerant haec monumenta viae.
Dic aliis quod opus divina potentia fecit,
Ut detur semper gloria digna Deo.

CCIV.

Muri Jerico

Urbs Jerico sternenda fuit; se moenibns altis
Cinxerat, atque hostis spreverat illa minas.
Vix sonuere tubas Hebraei moenia circum
Urbis, cum sonitu victa ruere solo.
Nominis ut Jesu sonus est auditus in orbe,
Strata solo cecidit vana superstitio.

CCV.

Sol stans contra Gabaon

Sternebat populus Gabaon victricibns armis,
Ne sol dirimeret praelia mersus aquis,
Dux populi dixit: Sol ne movearis in hostes;
Paruit, atque suo constitit ille gradu.
Cuncta Deo parent Sol, Luna, elementaque cuncta,
Audet solus homo spernere jussa Dei.

CCVI.

Probati a Josue ad bellum

Millia multa virum in Gabaon pugnare volebant,
Josue sed multos noluit esse viros.
Quot quot aquam celeres illam cepere bibendo,
Hos jussit secum fortiter arma seqni.
Vincere quis poterit pugnans cum daemone saevo?
Ad virtutis iter quem mora nulla tenet.

CCVII.

Divisio terrae promissae

Cum terra Hebraeis multos optata per annos
Divisa est, tribui pars data cuique fuit.
At quod debebat sacros praebere ministros
Altari, tribui pars data nulla Levi.
Negligat omne bonum terrae quem destinat arae
Ipse Deus, totum et se sciat esse Dei

CCVIII.

Vellus Gedeonis

Vellus erat madidum, nullus dum decidit imber,
Et siccum pluvio tempore vellus erat.
Cuncta Deo parent coelum, mare, nubila, tellus,
Et portenta facit quo placet ille modo.
Cuncta Deus fecit, fiebant cuncta figuris;
Virginis et matris vellus imago fuit.

CCIX.

Vaticinium Balaam de stella Jacob

Non erat Hebraeus, nec vera oracula novit,
At Balaam afflatus numine fatus ait:
Ex Jacob, dixit, nascetur fulgida stella,
Quae radios lucis fundet ubique suae.
Cum natus Christus visa est haec fulgida stella,
Et Christus mundo fulgida stella fuit.

CCX.

Asina Balaam loquens

Verberibus multis Balaam coedebat asellam,
Sessori donec dixit asella suo:
Cur me caedis? ait: cur pergere noluit illa?
Angelus incoeptam non sinit ire viam.
Paruit illa Deo; at monitus tu saepe resistis,
Pergere nec cessas perditionis iter.

CCXI.

Samson

Fortis erat Samson vincens fortissima quaeque,
Quo nunquam toto fortior orbe fuit.
Mille Philisthinos hic mala armatus aselli
Vicit, et illorum corpora stravit humi.
Christus erat verus Samson, qui tartara vicit:
Ne metuas, tanto sub duce victor eris.

CCXII.

Dalila

Agmina qui vicit muliebri est victus amore :
En jacet imbellis pectore femineo.
Prodidit infida hunc mulier; captusque triumpho
Hostibus iratis, ludibrioque fuit.
Naviget Anthicyram muliebri quisquis amori
Credit: femineo in pectore rara fides.

CCXIII.

Sacrificium Jephte

Iephte Deo vovit, fuerim si victor ab hoste,
Qui prior occurrit, victima factus erit.
Filia prima fuit, venienti occurrit, et illa
Hoc fuerat votum victima danda Deo.
At non implendum votum: prudentia votis,
Si quid forte voves, sit comes usque tibi.

CCXIV.

Debora

Debora Iudaei populi dum sceptra tenebat,
Et regum, et sexus norma decusque fuit.
Haec aciem instruxit, pugnansque in monte coegit
Infensos hostes vertere terga fugae.
Est Deus omnipotens, humilesque ex stercore tollit;
Et cum vult, etiam faemina fortis erit.

CCXV.

Ortus Samuelis

Mater erat sterilis multis Samuelis ab annis :
Haec natum optavit gignere posse Deo.
At peperit Samuelem, ad templum hic, matre
favente,
Adductus, caepit munus obire sacrum.
Solve Deo votum; quamvis sint pignora cara,
Non tibi, nec mundo te genuisse putes.

CCXVI.

Samuel Propheta

Vir fuerat rectus Samuel, et crimine nullo,
Dum rexit populum, contaminatus erat :
Is nunquam laesit, fueratque per omnia justus;
At populus tanto de duce questus erat.
Sis quamvis rectus, Samuele et rectior ipso,
De te qui loquitur, non bene semper erit.

CCXVII.

Balaam Iudaeos benedicens

Iudaeum populum voluit maledicere Balaam,
Parere et regi debuit ille suo.
Illius at de Iudaeis bene lingua locuta est,
Parere et regi debuit ille Deo.
Imperium rex omnis habet, populosque gubernat,
In reges ipsos jus habet omne Deus.

*

CCXVIII.

Samuel loquens cum populo

Confectus Samuel senio, et bene munere functus,
Iudicis, haec populo verba locutus ait :
Dicite si laesi quemquam, si munera cepi.
Respondit populus : dicere nemo potest.
Quam pauci haec eadem pro munere dicere possunt!
Quam paucis populus : dicere nemo, potest !

CCXIX.

Rex petitus a Deo

Annos per multos, quo nil praestantius unquam,
Non homo, sed populi rex fuit ipse Deus.
Hujus at imperii populus pertaesus, ab illo
Regem hominem petiit, quem Deus ipse dedit.
Sic est: saepe homines Satanam perferre tyrannum
Malunt, imperium quam bene ferre Dei.

CCXX.

Saul factus rex

Rex Saul est factus, stultus quisque invidet illi,
Et tanti vellet regis habere locum.
Ast haec aeternae fuit illi causa ruinae;
Sic, quamvis merito, reprobus ille fuit.
Non semper vere bona sunt, quae talia credis;
Nec bona cuncta juvant, nec mala cuncta nocent.

CCXXI.

Saul offerens holocausta

Sauli inquit Samuel, dum bella gerebat in hostem:
Ante meum adventum nulla holocausta feras.
Obtulit ille Deo Samuelis munere functus,
Hoc Sauli et natis tristia damna tulit.
In sacram messem nolito mittere falcem,
Qui regitis populos, linquite sacra sacris.

CCXXII.

Saul servans regem Amalec

Sauli inquit Samuel: Amalec, armenta, hominesque,
Regem ipsum occidas; sic Deus ipse jubet.
Cuncta necat Saul, at regem servavit, ovesque,
Quas mactare omnes destinat ille Deo.
Sic factus reprobus rex Saul: nec munera possunt
Sacra placere Deo, quae Deus ipse vetat.

CCXXIII.

Reprobatio Saulis.

Cuncta neca quot sunt homines, et cuncta jumenta,
Regem ipsum, Sauli praecipit ipse Deus.
Saul servavit oves Templo, regisque misertus
Noluit illius claudere morte dies.
Hoc reprobum fecit: mala sunt quaecunque vetantur,
Utque bona eveniant, non facienda mala.

CCXXIV.

Goliad gigas

Immani Hebraeos terrebat robore Goliad,
  In verum spargens impia verba Deum.
Parvulus at David saxo percussit, et illum
  Immani quamvis corpore stravit humi.
Goliad est tumidus Satanas; prostravit at illum
  Christus, sub parvo corpore factus homo.

CCXXV.

Odium Saulis in Davidem

Quem rex debuerat meritis attollere ad astra,
  Quod populi, et regis vita salusque fuit,
Ad mortem Saul persequitur; nisi falleret ictum,
  David crudeli cuspide fixus erat.
Cur odium tantum? Meritum quod tollit ad astra
  Non placet, et medium tutius esse solet.

CCXXVI.

Jonathas et David

Confectus David crudeli morte fuisset,
  Ni Jonathas illi fidus amicus erat.
Ille tuebatur, dulcemque monebat amicum,
  Quantum odium regis, quanta pericla forent.
Inter tot casus, et tot discrimina vitae
  Vae tibi si nullus verus amicus erit.

CCXXVII.

David fugiens Saul

Oderat ad mortem Davidem percitus ira
  Saul , David secum noverat esse Deum.
Regis at irati aspectum cane pejus et angue
  Aufugit , vitae consuluitque suae.
Esto tui vigil , at nunquam te expone periclis
  Peccandi incautos deserit ipse Deus.

CCXXVIII.

Mors Abimelec

Abimelec sacros panes miseratus edendos
  Concessit David , qui fame pressus erat.
Quod scelus hoc fuerat magnum? at commotus
[illegible] ad iram
  Rex Saul Abimelec morte necare jubet.
Principiis obsta , motum compesce furorem :
  Ni cito compescas, ad scelus omne movet.

CCXXIX.

Saul consulens spiritum malum

Qui prius in curis regni , rebusque gerendis
  Auxilium petiit , consiliumque Dei ,
Qui pius ante fuit , quantum mutatus ab illo
  Nunc Satanae auxilium consiliumque petit !
Flexerat a recto virtutis tramite ; crimen
  Unum majora ad crimina sternit iter.

CCXXX.

Ionathas reus mortis

Rex tulerat legem, ut si quis gustaverat escam,
Sol prius ac currum merserit oceano,
Plectendus morte; at Ionathas gustaverat escam
Nescius, et patris lege necandus erat.
Pro Ionatha oravit populus, sic parcitur illi.
Oratorem adhibe, parcit et ipse Deus.

CCXXXI.

Mors Saulis.

Nuntius ut tristis venit Davidis ad aures,
Quod rex crudeli morte peremptus obit,
Ingemuit David, maledixit montibus ipsis,
Rex quibus infenso victus ab hoste fuit.
Non gaudet bonus alterius de morte, nec hosti,
A quo laesus erat, tristia damna cupit.

CCXXXII.

Job

E terra Hus fuerat Job, quo non justior alter,
Atque malos inter ter bonus ille fuit.
Unicuique suum tribuit jus, nemine laeso,
Pauperibusque suas distribuebat opes.
Qui bonus est inter pravos, exempla malorum
Spernens, ille boni nomine dignus erit.

CCXXXIII.

Patientia Iob

Rebus in adversis aequam servare memento
 Mentem, omnes a Iob discite ferre mala.
Amisit natos omnes, e divite pauper
 Factus, et aequo animo corpore multa tulit.
In rebus facile est Dominum benedicere laetis;
 Rebus at adversis hoc opus, hic labor est.

CCXXXIV.

Uxor Iob

Iob fuerat patiens, quo non patientior alter,
 Æquo animo semper tristia cuncta tulit.
Nil questus, nunquam patientia defuit illi;
 At nequit uxoris verba molesta pati.
Iunctus es uxori? haec fuerit si forte molesta,
 In mare te coget mittere praecipitem.

CCXXXV.

Amici Iob

Tres fuerant Iob, dum mala cuncta ferebat, amici,
 Iamdudum juncti faedere amicitiae.
Hi pressum curis male dum solantur amicum,
 Illi majoris causa doloris erant.
Ut bona verba juvent, ad rem dicantur oportet;
 Qui bene non loquitur quae bona sunt, taceat.

CCXXXVI.

Eloquium Iob

In libris Iobi sublimia quanta leguntur!
Et quam sermonem tollit ad astra suum!
Ut rapidus currit montano vertice torrens,
Illius eloquii copia magna fluit.
Cum tu verba legis Iobi, cum vatis Homeri,
Haec hominis dices, illa fuisse Dei.

CCXXXVII.

David factus rex

Rex tandem David solium pervenit ad illud,
Quod, Saule amoto, praebuit ipse Deus.
Post varios casus, post tot discrimina rerum
Qui fuerat pastor, regia sceptra tenet.
Praemia non dantur, nisi quis certaverit ante!
Nil sine permagno vita labore dedit.

CCXXXVIII.

Peccatum Davidis

Sub dio mulier corpus ter pulchra lavabat:
Ut vidit David captus amore fuit.
Hanc subito petiit David, jam est factus adulter,
Nec multis precibus, quod petit, illa dedit,
Debuerat fateor mulier magis esse modesta,
Debuit ast oculos rex cohibere suos.

CCXXXIX.

Venia a Davide accepta

Peccavit Saul: et si dicere vera velimus,
Finis erat justus, sed grave crimen erat;
Fecit adulterium David, Davide jubente,
Urias dira morte peremptus obit.
Quod libet omne facit, Deus est qui cuncta gubernat,
Hic veniam accepit, reprobus ille fuit.

CCXL.

Davidis poenitentia

Peccavit David, subito sed voce prophetae
Est motus, facti poenituitque sui.
Audivit Dominus, culpam tibi transtulit, inquit,
Ad Dominum redeas, sit mora nulla tibi.
Quam facilis Deus est ignoscere, parcere culpis!
Si doleas, facti poeniteatqne tui.

CCXLI.

Davidis lacrymae

Effudit lacrymas David, quae pectore manant;
Peccatique sui ter memor usque fuit.
Hei mihi quot lacrimis lectum de nocte rigabat,
In poenam culpae tristia quanta tulit!
Davidis quot quot peccando exempla secuti,
Davidi effusis fletibus este pares.

CCXLII.

Incestus Ammonis

Visa fuit fratri Ammoni pulcherrima Thamar,
Frater et illius captus amore fuit.
Non timuit patrem, fratremque, oppressit et illam,
Damna sibi, atque illi dedecus omne tulit.
Cum semel invasit pectus vesana libido,
Non pudor, et sanquis fraena inhibere potest.

CCXLIII.

Idolum Dagon

Hostis erat laetus Domini quod ceperat Arcam;
Et contra Dagon illa locata fuit.
Mane solo, et capite abscisso de marmore, signum
Est visum stratum, caesa et utraque manu.
Peccatum et virtus nequeunt consistere secum;
Nec junctus Christus Baelial esse potest.

CCXLIV.

Poena Bethsamitarum

Per loca Bethsamitarum transiverat Arca,
A Bethsamitis visa quod illa fuit,
Criminis in poenam supremi vindicis iram
Experti, caesa et millia multa virum.
Maxima debetur sacris reverentia rebus;
Vae tibi ni dubitas spernere sacra Deo.

CCXLV.

Oza percussus a Deo

Oza levita Dei nutantem viderat Arcam:
Ne caderet tetigit, sustinuitque manu.
Protinus est Deus iratus, percussit et illum;
Sic Oza immiti morte peremptus obit.
Atqua plectetur poena pro crimine, Christum
Audet qui immundo tangere corde Deum?

CCXLVI.

Obenedod benedictus a Deo

Obenedod Domini hospitio susceperat Arcam,
Hanc quo digna fuit semper honore colens.
Hinc Deus Obenedod domui benedixit, et illi
Concessit larga munera cuncta manu.
Qui Christum hospitio accipiunt, sed pectore mundo;
His Deus a Coelo non dabit omne bonum?

CCXLVII.

Absalon rebellis patri

Infamis vitiis, motusque cupidine regni
Intulit Absalon tristia bella patri.
Sic regem patrem discedere ab urbe coegit,
Et cuncto populo maxima damna tulit.
Cui sceleri ambitio parcit? quae crimina vitat?
An bonus esse potest ambitiosus homo?

CCXLVIII.

Semei maledicens David

Dum fugeret David fili tristissima bella,
In regem Semei pessima verba tulit.
AEquo animo hoc passus David, dixitque volenti
Invehere in Semei: sic Deus ipse jubet.
Corde humilis putat ex alto mala cuncta venire;
Non dolet, at culpae paenitet usque suae.

CCXLIX.

Absalon lacrymae

Absalon veniam accepit, sed saepe dolebat,
Quod nondum patris cerneret ora sui.
Hoc erat in votis, unum hoc optaverat usque,
Ut tandem cari cerneret ora patris.
Haec ter poena gravis quot quot cruciantur ab igne
Aeterno, nunquam cernere posse Deum.

CCL.

David numerans populum

Inflatus David populum numeraverat omnem,
Ut sciret populi millia quanta forent.
Sic Deus iratus populum punivit, et illum;
Sustulit et pestis millia multa virum.
Prae cunctis vitiis fugienda superbia semper,
Hoc vitium semper tristia damna tulit.

CCLI.

Mors Absalonis

Ammonem fratrem Absalon occidit, et ausus
Sanguine fraterno contaminare manus.
At dum Davidi inferret tristissima bella,
Transfixus dira cuspide pectus obit.
Qui gladio occidit, gladio ille peribit acuto,
Per quae peccavit debita poena datur.

CCLII.

David punitus a Deo.

Hei mihi quanta tulit David! puer occidit ille,
Qui fuerat turpi natus adulterio.
Compressa est Thamar, gladio percussus et Ammon.
Absalon caesus cum patre bella gerens.
Dum vivis, fugias culpas velut atra venena.
Causa mali tanti quae, nisi culpa fuit?

CCLIII.

David saltans ante arcam

Saltantem regem Davidem spreverat uxor
Ante Arcam, et regi dedecus esse putat.
Uxorem increpuit David, dixitque: locuta
Stulta es, quis poterit reddere digna Deo?
Qui vere est sapiens, divinam et quaerit honorem,
Dummodo quaeratur, nil sibi vile putat.

CCLIV.

Templum a Davide non aedificatum

Rex David templum Domino aedificare volebat,
Sed quia se multo sanguine polluerat,
Condere non potuit: collegit sumptibus aera:
Haec successoris cura futura sui.
Qui vota offertis, sacras et conditis aedes,
Sanguine, nec culpis contaminate manus.

CCLV.

Arca capta a Philistaeis

Quod castris Arcam populus Judaeus habebat,
Cum veteri laetus contulit hoste manus.
At quia se multo macularat crimine, capta est
Arca Dei, et populus victus ab hoste fuit.
Templa nec ipsa valent divini vindicis iram
Pellere, ni culpas pellere corde placet.

CCLVI.

Sacerdos Heli.

Non bene nati Heli sunt functi munere sacro;
Admonuit natos molliter ille suos.
At fuit haec natis, et Patri causa ruinae;
Hinc patrem, et natos sustulit una dies.
Acriter admoneas, quandoque utare rigore,
Cum tibi subjectus non bene munus obit.

CCLVII.

Pacificus rex Salomon

Pacificus Salomon non gessit bella cruenta ,
Et regni illius tempora pacis erant.
Composuit bellum cunctis cum gentibus , illi
Divinus cultus maxima cura fuit.
Pacificus Salomon Christus ; qui diligit illum ,
Sit toto vitae tempore pacis amans.

CCLVIII.

Salomonis oratio

Oravit Salomon Dominum ; non vincere bella
Hostes , non famam , divitiasque peto:
Ut mihi donetur , posco , sapientia tanta ,
Qua recte officium regis obire queam.
Ut nunquam quid inane petas, hinc disce precari,
Posce Deum , ut possis munus obire tuum.

CCLIX.

Sapientia Salomoins

Tam sapiens Salomom fuit , ut sapientior alter
Non fuerit , nunquam et clarior esse queat.
Quam bene de cunctis scripsit ! sapientia quanta
Legibus illius , judiciumque fuit !
Cur hic tam sapiens ? sapientia venit ab alto :
Est vere sapiens quem Deus ipse docet.

CCLX.

Judicium Salomonis

Ambae certabant matres cui filius esset
Vivus adhuc, dum alter morte peremptus erat.
Dividite infantem dixit rex: accipe totum,
Una inquit: sic est cognita vera parens.
Quid mirum est homini quod sit sapientia tanta?
Quem Deus elegit, quem Deus ipse docet.

CCLXI.

Libri Salomonis

Quae sapiens Salomon non pauca volumina scripsit,
Qui nondum legit, dicere nemo potest,
Quam bene de plantis loquitur, de animantibus ille,
Quam bene vivendi dogmata sancta docet!
O utinam prae aliis libris studiosa juventus
Hos libros verset nocte dieque manu.

CCLXII.

Regina Saba

Quae Salomon fecit miraus regina Sabaea,
Vidit, et haec illi verba locuta fuit:
De te fama erat; at vincit praesentia famam,
O nimium felix qui tibi semper adest!
Mirata est hominem regina Sabaea loquentem,
Audes tu Christi spernere verba Dei.

CCLXIII.

Templum a Salomone aedificatum

Quam dives Salomon divinam condidit aedem ,
  Magnificum templum terque quaterque fuit.
Hoc numeratum inter septem miracula mundi ,
  Digna Deo sedes non tamen illa fuit.
Digna Deo Sedes cor justi : hic complacet ille ,
  Gaudet et aeternam constituisse moram.

CCLXIV.

Sumptus templi aedificati

Excelsum templum , quo nil excelsius unquam
  Esse potest , Salomon condidit aere suo.
Marmoribus , lignis , gemmis fulgebat , et auro;
  Omne emit Salomon , emit at aere suo.
Redde aliis quod furatus , non offer ad aram
  Furtiva ; haud possunt furta placere Deo.

CCLXV.

Templi dedicatio

Mactavit Solomon agnorum millia multa ,
  Multa boum , cum aedes sacra dicata Deo.
Victima sed nulla e multis , quas obtulit ille ,
  E tantis potuit nulla placere Deo.
Nil poterant carnes taurorum , sanguis et hirci;
  Grata Deo Christus victima sola fuit.

CCLXVII.

Salomom cultor idolorum

Cujus erat totum sapientia clara per orbem ;
Et digna aeternae posteritatis erit,
Hei mihi ! quis credit ? muliebri illectus amore
Hic sapiens coluit numina falsa Deum.
Femineum nec vis, nec sapientia vincit amorem,
Sola fuga hunc vincit, si sapis ergo, fuge.

CCLXVII.

Solomon sene

Desipuit Solomon esset cum flore juventae;
Atque senex curvus, cum resipivit, erat.
Defuerant vires, tunc, sunt vana omnia, dixit,
Et quidquid mundus praebet, ut umbra, fugit.
Desipiunt juvenes, risipiscit quisque senecta.
Hoc satanae est carnem tradere, et ossa Deo

CCLXVIII.

Roboam,

Quaesivit Roboam Judae dum sceptra tenebat,
Consilium juvenum, consiliumque senum.
At spretis senibus, juvenes audivit ; ab illo
Sic abscissa fuit maxima pars populi.
Sunt vires juvenis, senis est prudentia ; posce
Auxilium juvenum, consiliumque senum.

CCLXIX.

Jeroboam

Cum Rex Jeroboam a Juda discessit, avita
Infelix caruit Relligione Dei.
Sic promissa Dei amisit, sic numina falsa
Dum coluit, praeceps in scelus omne ruit.
Romana a Cathedra Petri qui scinditur, ille
A recto vitae tramite flectit iter.

CCLXX.

Athalia

Regia tota domus ferro occidatur acuto,
Nemo unus maneat: Sic Athalia jubet.
Foemina sic voluit; facta est saevissima caedes:
Illa oculis siccis barbara cuncta videt.
Acta furore animi notum quod foemina possit;
Non silvae hircanae talia monstra feruunt.

CCLXXI.

Achab occupans villam Nabot

Villa fuit speciosa situ, quam Nabot habebat,
Dives homo; hanc villam Rex cupiebat A-chab.
At dare nolebat villam, nec vendere Nabot;
Sic regis jussu morte peremptus obit.
Cedere saepe decet forti, contendere noli
Cum forti, ni vis cedere, caesus eris

CCLXXII.

Panis Eliae subcinericeus

Elias lassus reficit dum membra sopore,
Post somnum panem non procul esse videt.
Protinus hunc sumit, comedit, firmatus ab illo
Pergit, et inceptam perficit ille viam.
Altum iter est coeli, Christi de pane frequenter;
Te nutri, coeli sic potes ire viam.

CCLXXIII.

Corvus Eliam alens

Dum fugit esuriens Elias, deficit illum
Panis, sed miris pascitur ille modis.
Corvus aves inter saevus, vivensque rapinis
Eliae praebet vespere, mane cibum.
Alterius bona ne rapias; si forte rapinis
Es dives, redde, aut pauperibus fer opem.

CCLXXIV.

Resurrectio filii Sereptanae

Eliam fugientem aluit muliercula pauper,
Et pietas fructum percipit illa suum.
Mortuus est puer huic, Dominumque orante, Propheta
Amissi puero luminis aura redit.
Quae vera est pietas prodest, et profuit usque
Et semper fructum percipit illa suum.

CCLXXV.

Nubes, visa ab Elia.

Nil per tres annos pluerat, Judaeaque tota
Poscebat pluviam, dum fame pressa jacet.
At nubem Elias Carmeli in vertice parvam
Vidit, ab hac venit copia dulcis aquae.
Virgo Dei Mater fuit hac signata figura:
Hac nobis caeli munera cuncta pluunt.

CCLXXVI.

Raptus Eliae

Vixerat Elias omni virtute decorus,
Et semper castos duxerat ille dies.
Hinc fuit in Coelum raptus, nec tristia mortis
Damna ferens, longo tempore vivit adhuc.
Elias verus Nestor: quod vixerit annos
Tercentum Nestor, fabula ficta fuit.

CCLXXVII.

Puer Giesi

Nomen erat Giezi puero, quem Eliseus habebat,
Huic Dominus: donis sit tibi clausa manus.
Hic dona accepit venientum, foedaque lepra
Protinus illius corpore visa fuit.
Munera praedones obeunt nunc publica; merces
Non satis est; donis semper aperta manus.

CCLXXVIII.

Pueri vorati ab ursis

Saepe usus Deus est Elisei; voce prophetae,
Judaeo hic populo saepe locutus erat.
Hunc simul illusit puerorum turba prophetam;
Haec turba ursarum dentibus esca fuit.
Quos Deus e coelo misit, ne sperne prophetas;
Nam spretis illius spernitur ipse Deus:

CCLXXIX.

Sepulchrum Elisei

Confectus fuerat jam Eliseus morte, sepulchro et
Conditus, huic alter contumulatus erat.
Hujus ut exuviae corpus tetigere prophetae,
Ad vitam rediit qui tumulatus erat.
Quos Deus admisit coelo venerare sepulchra
Sanctorum, et semper proximus esto bonis.

CCLXXX.

Mors Achab

Rex injustus Achab crudeli morte peremit
Nabot; digna illi poena luenda fuit.
Abstulerat vitam, et vitam sic jure peremptus,
Et merito regnum perdidit ille suum.
Ne noceas vita, et rebus, nam occisus obibit
Qui gladio occidit, perdet et ille suum.

CCLXXXII.

Jezabel regina

Omnibus infamis vitiis regina necavit
Jezabel quotquot viderat esse bonos.
At metuens poenam, cum se, leniret ut hostem,
Ornaret, merita morte perempta fuit.
Ne male quid facias, hujus dum pulvere terrae
Sordida membra jacent, esca fuere canum.

CCLXXXIII

Rex Ecechias

Dum jacet in lecto morbo confectus acerbo,
Regi Ezechiae venerat atra dies.
At lacrymis multis Dominum cum orasset, ab illo
Obtinuit multos vivere posse dies.
Cuncta valent lacrymae, lacrimas si, numine laeso,
Fundas, ne dubites vincere posse Deum.

CCLXXXIV.

Naaman Syrus

Horrida lepra cutem Noaman faedaverat omnem,
Atque omnis fuerat vana medela mali.
Mersus aquis fluvii lepra est mundatus ab omni
Et carne infantis mundior ille fuit.
Qui sacra se mergit aqua Baptismatis, ille
Pollutus quovis crimine mundus erit.

CCLXXXV.

Angelus exercitum Sinnacherib occidens

Moenia sanctae urbis validus jam cinxerat hostis,
Et spes obsessis nulla salutis erat.
Angelus at veniens coeli de sedibus altis,
Quot quot erant hominum millia stravit humi.
Angelus e coelo pro te si praelia pugnat,
Ne metuas, unus tartara cuncta fugat.

CCLXXXVI.

Jonas renuens parere Deo

Ipse Deus Jonam Ninivem concedere jussit,
Atque illi populo verba referre sua.
Maluit at Jonas Tarsum se ferre: procella
Mota est, et Jonas jam periturus erat.
Dogmatibus Christi quisquis parere recusat,
Serius, aut citius tristia cuncta feret.

CCLXXXVII.

Jonas in ventre Cete

Dum furit altum aequor, Jonas projectus in alvo
Exceptus piscis protinus ille fuit.
Per triduum mansit vivus, quis credat? et, illum
Cum vomuit piscis littore, vivus erat.
Post triduum Christus terrae qui corde latebat,
Ad vitam rediit qui tumulatus erat.

CCLXXXVIII.

Poenitentia Ninives

Clamavit Ninive ter magna voce propheta,
Quod sternenda urbis moenia cuncta forent.
At commota minis audivit verba monentis
Urbs Ninive, culpae poenituitque suae.
Audivit Ninive perculsa timore prophetam,
Audes tu Christi spernere verba Dei.

CCLXXXIX.

Ofni, et Phinees

Ofni germani, et Phinees altaris honorem
Sunt ausi manibus contaminare suis.
Plus aequo a populo cupientes dona petebant;
Hinc morte immiti raptus uterque fuit.
Pessima avaritia, et virtutum inimica; ministris
At templi haec pestis noxia semper erit.

CCLXL.

Joas rex Judae

Jojada vivente, Joas de tramite recto
Decessit nunquam, justus et usque fuit:
At cum Jojadae crudeli morte perempti
Consiliis caruit, pessimus ille fuit.
Utere consiliis sapientum, hos consule semper;
Sic poteris recte munus obire tuum.

CCLXLI.

Rex Asa aegrotans

Asa dolore pedum, quo non vehementior alter,
Indoluit, lecto decubuitque miser.
Hic quia non Domino, medica confidit at arte,
Occidit, atque omnis vana medela fuit.
A medicis aeger noli sperare salutem;
Pharmaca nulla juvant, ni Deus ipse juvet.

CCLXLII.

Ozias percussus lepra

Hostibus a victis rex est inflatus Ozias;
Ausus et ille sua reddere thura manu.
Quae manus hoc fecit lepra est percussa, luitque
Poenam, quae tanto crimine digna fuit.
At tu sacra manu noli violare profana,
Quodque sacrum est sacro linque ministerio.

CCLXLII.

Manasses poenitentia

Quod coram Domino fecit mala cuncta Manasses,
Amisit regnum, captus et ille fuit.
Liber at ille fuit vinclis, regnumque recepit
Cum flevit, culpae poenituitque suae.
Cuncta adimit culpa, at lacrymae fletusque dolentis
Ex animo culpae reddere cuncta valent.

CCLXLIX.

Visiones Isaiae

Visio montis

Viderat Isaias montem, qui culmen ad astra
Tollebebat cunctis montibus impositus.
Gens omnis propero gressu currebat ad illum:
Qui venit sedes est suacuique data.
Relligio Christi mons est, qui vertice tangit
Coelos; ad montem hunc omnibus ire datum.

CCLXLV

Visio Christi mansueti

Venturum Isaias Christum praedixit ut agnum,
Quo nunquam mundo mitior alter erit.
In cruce quod quamvis pateretur tristia cuncta,
Exiret labiis nulla querela suis.
Sectator Christi patiens asperrima quaeque
Non dolet, atque aequo sustinet omne animo

CCLXLVI.

Visio regni Christi

Olim Judaeos praeter via recta salutis
Gentibus in cunctis nemini aperta fuit,
Isaias vidit, Christo veniente, futurum
Ut salvus quisquis, si velit, esse queat.
Quis nolit meritas grates persolvere Christo,
Qui cunctos homines ad sua regna vocat?

CCLXLVII.

Christus nasciturus de Virgine

Rex quaesivit Achaz signum, quod vera prophetae
Dicta forent, signum grande propheta dedit.
Quod mulier pareret nivei sine labe pudoris
Natum, qui Emmanuel nomine dictus erit.
Ut verbum aeternum est natum de virgine Patre,
Sic matre est Christus virgine natus homo.

CCLXLVIII.

Christus lapis angularis

Quae pars est aedis, quae debet firmior esse?
Angulus: hic aedis jungit utrumque latus.
Est templum fidei nixum fundamine Christi;
Hinc immota fides, firmaque semper erit.
Gentibus ille simul Judaeos junxit in unum;
Angulus hinc dictus: quam bene nomen habet!

CCLXLIX.

Vaticinium floris

Isaias dixit, quod, praecisa arbore Judae,
Illius radix non perirura foret.
Quod radice foret Jessea oritura propago,
Germine de cujus flos oriturus erat.
Flos hic est Christus, verae virtutis odorem
Qui mittens mundo gaudia vera tulit.

CCC.

Vinea Isaiae descripta

Isaias vineam descripsit : cultor agelli
Sedulus hanc posuit ; cinctaque sepe fuit,
Uvas ut ferret frustra expectavit , at illa
Labruscas pro uvis pomaque nulla tulit.
Nostra anima vinea haec, Christo plantata colono ;
Aut nulla haec vinea , aut pessima poma dedit.

CCCI.

Excidium Jerosolimae

Excidium Solymae Isaias praedixit , et inquit :
Hostis tantae urbis moenia sternet humi.
Urbs aequata solo , deletis moenibus , omnis
Gens Romanorum sub ditione fuit.
Cur Solyma excisa est ? sprevit quod verba mo-
nentis
Christi ; hunc si spernis, vae tibi semper erit.

CCCII.

Conversio Judaeorum.

Isaias dixit quod gens judaea rebellis ,
Et portans culpae tristia damna suae ,
In Christum credet , tenebris et mente fugatis ,
Accipiet fidei dogmata sancta novae.
Tunc vere Christus toto dominabitur orbe ,
Tunc et ovile unum , pastor et unus erit.

CCCIII.

Christus lux gentium

Lux lunae, ut lux solis erit, tenebrasque fugabit
  Nocturnas, et lux septupla solis erit,
Cum veniet Christus, verum de lumine lumen,
  Veraci Isaias ore locutus ait.
Ipse tibi tribuas, careas quod lumine, Christus
  Dum mittit radios lucis ubique suae.

CCCIV.

Jeremias Propheta.

Tristia praedixit Jeremias: debita culpis
  Poena haec; at nunquam creditus ille fuit.
Proceribus fuit invisus, contemptus ubique;
  Et tandem patriis finibus exul abit.
Palpari volumus, vult nemo vera moneri,
  Dispilicet et cunctis verum, odiumque parit.

CCCV.

Eversio Jerusalem

Iratus cepit Solymas Babylonius hostis,
  Civibus et cunctis tristia cuncta tulit.
Moenia delevit, non ferro ignique pepercit:
  Haec tantis culpis debita poena fuit.
Contempsit semper populus monimenta salutis:
  Ira Dei tardat, sed tamen illa venit.

CCCVI.

Templum Jerusalem eversum

Quod prius argento templum fulgebat, et auro,
Nunc lapides usti, reliquiaeque manent.
Omnia consumpsit flamma, est mensa aurea rapta,
Ipsaque confracta est foederis arca Dei.
Quam gravis ira Dei est! templis non parcit et ipsis,
Contra iram coeli templa nec ipsa valent.

CCCVII.

Somnium Nabuchodonosor

Cui caput ex auro, argento cui pectus, et aere
Ferro et crura, pedes lutea terra facit,
Rex vidit statuam; fracta haec, cum scissus ab alto
Monte lapis praeceps icit utrumque pedem.
Hinc mons est factus: regni mons ille figura
Christi est, quod clarum tollit ad astra caput.

CCCVIII.

Nabuchodonosor demens

Qui prius imperio populos et sceptra regebat;
Et qui prae cunctis corde superbus erat,
Nunc comedit foenum, nunc vivit more ferarum;
Et factum est animal, quod ratione caret.
Sic est: Omnipotens alta de sede superbos
Dejicit, atque humiles tollit ad astra viros.

CCCIX.

Baldassar

Scribebat manus in muro, est rex territus illa;
Exposuit Daniel quid sibi verba velint.
Spreverat ille Deum, templi et sacra vasa; sequenti
At nocte immiti morte peremptus obit.
Vae tibi qui spernis fidei sacra dogmata nostrae;
Criminis in poenam tristia cuncta feres.

CCCX.

Pueri in fornace Babylonis.

Tres pueri Hebraei, statuae quod poplite flexo
Sternere se nolunt; nec sinit ipse Deus,
Missi in fornacem; at crines nec flamma voravit
Illorum, et pueri carmina laeta canunt.
Cui Deus adjutor nil noxia cuncta nocebunt;
Non reges cuncti, flamma nec ipsa nocet.

CCCXI:

Daniel in lacu leonum

In fossa est Daniel: illi non ira leonum,
Quam natura dedit, nec nocet ipsa fames.
Qui Deus omne potest, concluserat ora leonum,
Rex stupet, immensum laudat et ille Deum.
Est Satanas saevus leo, sed tu pone timorem;
Est Deus: inferni comprimit ille minas

CCCXII.

Abachuc ab Angelo sublatus

Dum jacet in fossa Daniel, et deficit illum
Esca, modis miris hunc alit ipse Deus.
In coelos Abachuc, Danieli portet ut escam,
Tollitur; optatum sic habet ille cibum.
Quaere Dei solum regnum; te crede supernae
Curae, te semper nutriet ipse Deus.

CCCXIII.

Septuaginta Ebdomadae Danielis

Praedixit Daniel fidei primordia nostrae;
Et quo venturus tempore Christus erat.
Elapsum est tempus, defecit et hostia templi;
Et populus longo tempore lege caret.
Talia qui cernens Christum venisse negabit,
Dum medio est cursu sol, negat esse diem.

CCCIV.

Oratio Danielis

Lugebat Daniel, jejunia longa trahebat,
Pro populo faciens fervida vota Deo.
Angelus hunc jussit moerorem et ponere luctum,
Quod Deus audierat fervida vota sua.
Qui praesunt populis, jejunent, votaque fundant,
Ut sint pro populis hostia grata Deo.

CCCXV.

Exter

Se Regi Assuero cum Exter regina stetisset,
Pro populo fecit fervida vota suo.
Reginam ut rex audivit, placatus ab ira est,
Victaque sunt molli pectora dura prece.
Virginis atque Dei matris fuit Exter imago;
Iratum nobis mitigat illa Deum.

CCCXVI.

Aman

Figendus fuerat cruce Mardocheus, acerba, et
(Sic Aman voluit) morte necandus erat
At qua figendus cruce Mardocheus, eadem
Aman confictus, rege jubente, fuit.
Non raro dolus in fallentem decidit ipsum,
Quamque aliis foveam fecerat, ipse cadit.

CCCVII.

Pietas Tobiae

Tobias captivus erat, verumque colebat,
Dum colerent alii numina falsa, Deum.
Pauperibus praebebat opem, et monimenta salutis
Captivis secum fratribus ille dabat.
Quisque solet falsam peccati adducere causam;
Cum volumus, semper possumus esse boni.

CCCXVIII.

Caecitas Tobiae.

Grata Deo fuerat Tobiae maxima virtus;
Illius at virtus vera probanda fuit.
Est factus coecus, jam coepit luce carere,
Qua nil post vitam gratius esse potest.
Aerumnis virtus, aurum velut igne probatur;
Ut tua sit virtus vera, probandus eris.

CCCXIX.

Uxor Tobiae

Uxor Tobiae fuerat quod stulta locuta,
Tobias illi talia fatus ait:
Cur stulte loqueris? Deus est qui cuncta gubernat:
Dat Deus omne bonum, dat Deus omne malum.
Cuncta Deo justi referunt, animóque libenti
Suscipiuntque bonum, suscipiuntque malum.

CCCXX.

Angelus comes Tobiae

Quaerebat comitem Tobias filius: ire
In Mediam, et longum carpere debet iter.
Sub speciem juvenis formosi apparuit illi
Angelus, et tanto sub duce coepit iter.
Angelus e coelo est custos tibi missus ab alto:
Carpe viam coeli, hoc sub duce tutus eris.

CCCXXI.

Raguel videns Tobiam

Tobiam ut vidit Raguel laetatus, et inquit:
Tobiae est similis fratris imago mei.
Angelus, est, inqnit, Tobiae filius: illum
Complexus Raguel oscula multa dedit.
Est homo imago Dei, verus pater omnibus ille est;
Quî negat hoc, fratrem non amat ille suum.

CCCXXII.

Nuptiae Tobiae filii

Sara viris septem fuerat jam nupta, sed omnes
Daemonis ira mali morte peremit atra.
Tobias Saram duxit, socioque monente,
Cum sponsa fecit fervida vota Deo.
Sic mortem effugit Tobias: daemonis iram
Vis vanam, atque dolos reddere? funde preces.

CCCXXIII.

Reditus Tobiae

Tobias fuerat Mediae e regione reversus;
Angelus hunc semper duxerat incolnmem.
Angelus hic piscis cum sparsit felle pupillas,
Sic coeli lumen reddidit ille seni.
Non semper Deus aerumnas, nec gaudia mittit:
Dum sumus in terris, sunt bona mixta malis.

CCCXXIV.

Sermo Tobiae cum Patre

Me incolumem hic comes in Mediam, patriamque reduxit,
Quae dabimus meritis praemia digna suis?
Eripuit pisce, uxorem mihi praebuit ille,
Nummos, et visum reddidit ille tibi.
Illi dimidium argenti dabimusque bonorum:
Mercedem meritis reddere justus amat.

CCCXXV.

Responsum Angeli

Angelus haec inquit: sum e septem spiritns unus,
Qui semper solium sistimus ante Dei.
Prandia linquebas, tumulabas corpora nocte:
A te subventus semper egenus erat.
A me cuncta Deo sunt haec oblata, precesque:
Fac bene, dat semper praemia justa Deus.

CCCXXVI.

Gratiae Deo actae a patre et filio.

Miratus pater, et natus quae dixerat ille,
Protinus atque abiit, haec ubi dicta dedit,
Promeritas Domino certabant reddere grates
Et pater, et natus stratus uterque solo.
Grates redde Deo: ingratum si dixeris, omne
Dixeris: ingratos odit et ipse Deus.

CCCXXVII.

Susanna

Foemina non semper fortis, non semper honesta;
At paucas inter casta Susanna fuit.
Illius voluere senes maculare pudorem;
At pravas voces despicit illa senum.
Quid facient juvenes, audet cum talia curva
Ætas? te semper reprime, vince, time.

CCCXXVIII.

Hebraei captivi Babylone

Dum gemit Hebraeus populus patria exul ab urbe,
Amissas sedes non dolet ille suas;
At dolet ob templum exustum, quod et aurea mensa
Rapta, quod amissa est foederis arca Dei.
Nos mala nostra urunt, spernuntur publica damna;
Si bene nostra valent, cuncta aliena ruant.

CCCXXIX.

Babylonenses a Deo percussi

Saepe suos hostes alios Deus armat in hostes;
Perque hostes hostes percutit ille suos.
At quibus est usus tandem Deus ipse flagellat,
Et Babylonenses percutit ipse Deus.
Saepe Deus virga crudeli percutit hostes:
Cum jam percussit, virga perusta fuit.

CCCXXX.

Cyrus rex Persarum

Persarum Cyrus rex clarus in orbe tenebat
  Hebraeum populum sub ditione sua.
Hic tandem Hebraeis patriam concedit avitam;
  Et templum, atque domas aedificare sinit.
Cyrus imago fuit Christi; nos ille redemit,
  Et Coelum nostram patriam inire dedit.

CCCXXXI.

Reditus Hebraeorum Jerusalem.

Est liber populus, patriamque revertit avitam,
  Jam Templum, sedes aedificatque suas.
Hoc erat in votis, Deus est placatus, et illi
  Concessit patria ponere sede pedem.
Succenset Deus, at mox est placatus ab ira;
  Et nunquam ad mortem percutit ille suos.

CCCXXXII.

Aqua inventa post reditum

Cum templum incensum, sacer est abscoditus ignis:
  Hic aqua post reditum crassa reperta fuit.
Illa sparserunt ligna; at sol cum affuit, ignis
  Combussit miris omnia ligna modis.
Sol est justitiae Christus; cum fulsit in orbe,
  Humana accendit pectora sanctus amor.

CCCXXXIII.

Judith.

Bethuliae nata est mulier pulcherrima Judith :
Moribus at castis pulchrior illa fuit.
Haec viduata viro fuit, at sociata puellis
Ducebat sanctos, et sine labe dies.
Mortua dicatur virtuti foemina vivens
Inter delicias, cum viduata viro est.

CCCXXXIV.

Bethulia

Bethuliam multis Holofernes cinxerat armis;
Et mortis tota sparserat urbe metum.
Urbs confisa parum Domino jam aperire volebat
Portas, et se hosti dedere utraque manu :
In Domino qui non sperat se jure superna
Reddit ope indignum, laedit et ille Deum.

CCCXXXV.

Consilium Judith.

Decrevit Judith patriam discrimine summo
Eripere, aut summum mortis obire diem.
Ausaque consilium, quo non audentius unquam,
Divino at pectus robore cincta fuit.
Pro dulci patria vitam qui prodigit, ille
Civis et herois nomine dignus erit.

CCCXXXVI.

Egressus Judith e Bethulia

Omnibus illa modis sibi formam augere sategit,
Et speciem formae praebuit ipse Deus.
Urbe egressa fuit, quaesitaque ab hoste, nec illi
Mentitur verum, sed tamen omne tacet.
Nemo potest aliis mendacia dicere verba;
Consilium at debet prodere nemo suum.

CCCXXXVII.

Holofernes

In castra ingressa est mulier, miratus et hostis
A Judith oculos haud cohibere potest.
Haec genibus flexis Holofernis numen adorat,
Ille pedes cernens captus amore fuit.
Quis tutus poterit muliebris cernere vultus
Formam, cum possit fallere forma pedum?

CCCXXXVIII.

Mors Holofernis

Cum medio in somno et vino dux obrutus esset,
Huic manus imbellis numine freta Dei,
Proh mirum! caput huic de corpore truncat,
Corpus et immersum sanguine linquit humi.
Cur opus ad tantum muliebri maluit uti
Dextra? Ut confundat fortia quaeque Deus.

CCCXXXIX.

Reditus Judith

Veste tegit caput abscissum de corpore Judith:
Egreditur castris, Bethuliamque redit.
Patria laeta stupet, Judithque attollit ad astra,
Sola oculos humilis dejiciit illa suos.
Esto Dei cultor; facies cum maxima quaeque,
A te quaeratur gloria sola Dei.

CCCXL.

Vaticinium Aggaei de Messia

Templum iterum constructum Aggaeus vidit, et inquit:
Prae vetere huic templo gloria major erit.
Hoc olim templum ornabit praesentia Christi:
Gloria nec major, nec decus esse potest.
Est templum exustum, jam ingressus Christus in illud;
Hunc venisse neget quis nisi mentis inops?

CCCXLI.

Vaticinium Malachiae de Messia

Divino aflatus Malachias numine dixit,
Quod Christus sparget nomen ubique suum;
Quod praeclarus erit, toto et dominabitur orbe,
Quod gentes illi thurea dona ferent.
Jam recolunt Christum gentes; qui respuit illum,
Aut est Judaeus, vel ratione caret.

CCCXLII.

Duplex adventus Messiae

Dupliciter, dixit Malachias, Christus in orbem
Venturus, primo venit et illo modo.
Est primus Patris, quo nunquam dulcior alter,
Irati adventus Judicis alter erit.
Qui dnlcem ut patrem non vult agnscere Christum,
Hic metuat Christi judicis ora sui.

CCCXLIII.

Antiochus moriens

Impius Antiochus Syriae dum regna regebat,
Judeae et Solymis fecerat omne malum.
Decumbens lecto, et tollendus morte, malorum
Quae feci Solymis nunc reminircor, ait.
At frustra doluit, veniaque indignus obivit;
Nam mors semper erit quomodo vita fuit.

CCCXLIV.

Duces Macchabaei

Gens Macchabaeorum est totum celebrata per orbem,
Quod pro lege Dei tristia cuncta tulit.
Fortiter haec Domini pugnavit praelia, quisque
Fratrum pro Domini lege peremptus obit.
Qui gregis est pastor Christi, aut sit obire paratus
Pro grege, vel munus deserat ille suum.

CCCXLV.

Septem Macchabaei

Germani septem fuerant de sanguine claro
Nati; quisque horum morte peremptus obit.
Non unum mortis genus, et diversa fuere
Tormenta illorum, mens tamen una fuit.
Hi vere fratres, rara haec concordia fratrum,
Rumpere quam mortis nec timor ipse potest.

CCCXLVI.

Mater Macchabaeorum

Cernebat siccis oculis fortissima mater
Omnia quot quot erant pignora cara mori,
Et fata est illis: cruciatus ferte parumper;
Cernite vos caelo gloria quanta manet.
Quae mater natos callem docet ire salutis,
Quos genuit mundo, gignit et illa Deo.

CCCXLVII.

Pontifex Onias

Pontificis summi Onias dum munus obibat,
Muneris et tanti dignus honore fuit;
Hic populum errantem factis dictisque docebat,
Atque erat ille gregis vita, salusque sui.
Cui bonus est Pastor concessus munere Coëli,
Grex dici felix terque quaterque potest.

CCCXLVIII.

Jason petens pontificatum

Pontificis summi munus cupiebat Jason,
  Munere sed tanto non bene dignus erat.
Hic in Judaeos saevum dum concitat hostem,
  Ingratus patriae tristia damna tulit.
Quam prava ambitio! scelus haec impellit ad omne;
  Ambitiosus homo semper iniqus erit.

CCCXLIX.

Aurum missum ad Templum pro mortuis

Judaeo e populo, Domini dum praelia pugnat,
  Millia multa virum strata fuere solo.
Ad Templum pro illis argenti pondere, et auri
  Misso, oblata fuit victima multa Deo.
Post mortem labes vitae purgantur in igne:
  Pro vita functis fac pia vota Deo.

CCCL.

Heliodorus percussus virgis

Rex misit sacrum Templi qui tolleret aurum,
  Et rapturus opes Heliodorus erat.
Altus equo at juvenis raptori apparuit, illum
  Et male mulctatum verbere liquit humi.
Tangere sacra Deo noli velut atra venena;
  Vae tibi si tangis, nam Deus ultor erit.

CCCLI.

Eleazar

Complerat clarus quasi centum Eleazarus annos,
Mandere cum carnem noluit ille suis.
Fingere cum posset, miserantes sprevit amicos;
Et pro lege Dei maluit ille mori.
Esto Dei verus cultor, nil fictio prodest;
Non colitur ficta relligione Deus.

CCCLII.

Faedus initum a Judaeis cum Romanis

Rebus in adversus semper Judaea poposcit
E coelo auxilium, quod Deus usque tulit.
At quia Romani fuerant virtute potentes,
Illi se junxit foedere amicitiae.
Stultus opem humanam spernit, cum possit habere:
Et tentare Deum nec Deus ipse sinit.

CCCLIII.

Finis veteris Testamenti

Omnia de Christo, et de Christi lege prophetae
Dixere; illorum finis et unus erat.
Si Christum tollas, animam de corpore tollis,
Nam veteris legis spiritus ille fuit.
Omnia Christus erat dum lex vetus illa vigebat;
Dum nova lex, nobis omnia Christus erit.

NOVUM TESTAMENTUM

EPIGRAMMA

I.

Proaemium

Gaudia tempus amat, paulo meliora canamus,
Lex vetus interiit, et nova cuncta placent.
Quidquid veraci dixerunt ore prophetae,
Evenit, rerum nascitur ordo novus.
Si coelum praestat terrae, si gratia paenae,
Haec nova lex veteri cessit, et umbra rei,

II.

Quatuor Evangelia

Ortus et mortis Christi, miracula quanta
Fecit, pro nobis quantaque passus obit,
Historiam hanc quatuor referunt, concordia quanta
Est illos inter! quam bene cuncta docent!
Cur illos inter concordia tanta? per illos
Qui loquitur Sanctus Spiritus unus erat.

III.

Sanctus Matthaeus

Audierat Christi Matthaeus verba vocantis,
Protinus et linquens cuncta secutus erat.
Historiam Christi, quod scriptor caepit ab ortu
In Bethlem, facie pingitur ille hominis,
Cum legis hunc librum, Christum sub imagine servi
Crede, sed indutum carne fatere Deum.

IV.

Sanctus Marcus

Ut leo clamabat ter magna voce Joannes:
Historiae hinc Marcus scribere coepit opus.
Pingitur hinc merito facie, formaque leonis;
Illi nec species aptior ulla fuit.
At vicit Christus genitus de sanguine Judae
Tartareos hostes, dictus et ille leo.

V.

Sanctus Lucas

Mactabat taurum dum in templo ex lege sacerdos,
Angelus apparens verba locutus erat.
Hinc Lucas coepit vitam describere Christi;
Haec causa est faciem cur habet ille bovis.
At taurus Christus, delens qui crimina nostra
Tauri instar Patri victima caesa fuit.

VI.

Sanctus Joannes

Omnia trascendit per cuncta creata Joannes,
Et Christum Verbum praedicat esse Deum.
Hinc aquila est dictus, quae spernens ima, volatum
Prae cunctis avibus tollit ad astra suum.
Cum legis hunc librum, Christum de numine numen
Nosce; sed in tanto numine nosce hominem.

VII.

Angelus nuntians Mariae

Angelus adveniens Coeli de sedibus altis
Missus, et ad Matrem mittitur ille Dei.
Accipit hoc Matris munus castissima Virgo,
Quod fieri hoc salva Virginitate potest.
Promite laetitiam, populi, qui crimina delet
Factus homo Deus est, promite laetitiam.

VIII.

Ioseph ob Mariam praegnantem

Uxorem Joseph praegnantem viderat illam,
Quae nunquam fuerat contaminata viro.
De nota at nunquam dubitat virtute Mariae;
At dolor hic tantus pectore pressus erat.
Judicium suspende tuum; si forte moveris
Suspicione animi, tarda sit ira tibi.

IX.

Angelus apparens Joseph

Angelus in somnis Joseph apparet, et inquit:
Accipe, pone metum, quae tibi sponsa fuit,
Numinis est opus aeterni, quod Virginis alvo
Factum est, humanum non fuit illud opus.
Saepe Deus lacrymis admiscet gaudia nostris;
Nunc Joseph laetus, qui modo tristis erat.

*

X.

Genesis Christi.

Abram, et David.

Cur Christi in Genesi numerati David, et Abram?
Ante omnes factum cur ita scire placet.
Exemplum fidei fuit Abram, David amaris
Deflevit lacrymis quod male gessit opus:
Est consanguineus Christi qui credit in illum,
Ex animo culpae paenituitque suae.

XI.

Isaac.

Venerat uxori Abrami jam curva senecta,
Isac cum genuit, mater et illa fuit.
Hunc Deus offerri sibi jussit vertice montis,
Hunc mactare Deo debuit ipse pater.
Hinc fuit Isacides Christus, qui vertice montis
Calvariae Patri victima caesa fuit.

XII.

Jacob.

Vir patiens Jacob, quo non patientior alter;
Hei mihi pro sponsa tristia quanta tulit!
Religio Christi, qua nunquam pulchrior ulla,
Haec Christi sponsa est empta cruore suo.
Hinc patres inter Christi numeratur Jacob:
Sis patiens; Christum gignere corde potes.

XIII.

Judas.

Bis senos inter natos de femore Jacob
Egressos, Judas nomine clarus erat.
Extitit hic animi magni, catulusque leonis
Dictus, quo nunquam fortior alter erat.
Dicitur hinc merito Judae de sanguine Christus
Natus, quo nunquam fortior alter erit.

XIV.

Zara.

Est genitus Zarah Judae de sanguine Thamar,
Hunc genuit socero non bene juncta suo.
Miraris Christum natum de germine Thamar,
Cui bona non fuerat fama pudicitiae?
Qui venit Christus vili sub imagine servi,
Pro nobis voluit dedecus omne pati.

XV.

Obed natus ex Ruth

Obed patre Booz natus; susceperat illum
Ruth, cui conjugii foedere junctus erat.
Haec mulier fuerat vili de sanguine nata,
De gente externa, nam Moabitis erat.
Christus, qui in Mundum venit, salvaret ut omnes,
Cunctorum est natus sanguine factus homo.

XVI.

Salomon.

Rex clarus Salomon toto est celebratus in orbe:
Hic e Davidis femore natus erat.
Maxima de Coelo huic venit sapientia regi,
Atque omni vixit tempore pacis amans.
Hunc habuit Patrem Christus, sapientia Patris;
Pacifici et regis quam bene nomen habet!

XVII.

Roboam.

Est natus Roboam Salomonis femore regis,
At similis Patri non fuit iste suo.
Consilium juvenum stultus fuit ille secutus,
Impius et coluit numina falsa Deum.
Quanta humilis cordis virtus in rege superno!
Dignatus patres Christus habere malos.

XVIII.

Post transmigrationem Babilonis

Cum Deus Hebraeum populum punire volebat,
Crimine qui multo contaminatus erat,
Captivum hunc passus Babilonis ferre catenas,
Pluribus et Instris aspera quaeque pati.
At nunquam oblitus promissum mittere Christum:
Quanta Dei bonitas, dicite, quantus amor!

XIX.

Mathan.

Mathan, et Jacob genitus de sanguine Mathan,
E Judae quamvis sanguine progeniti,
Pauper uterque fuit, vixit manuumque labore,
Viventes terris nullum habuere decus.
Rex Christus regum ignotis est patribus ortus,
Talia quis cernens corde superbus erit?

XX.

Joseph vir Mariae.

Si fuerat Christus gignendus virgine matre,
Cur virgo haec Joseph consociata fuit?
Solamen vitae ut foret, atque illaesa Mariae
Ut servaretur fama pudicitiae.
Ut Satanam natum Christum de matre lateret
Virgine: prudenter quam Deus omne gerit!

XXI.

Zacharias Pater Baptistae

Elisabeth, multis quae jam processerat annis,
Angelus adveniens, ore locutus ait:
Quod pareret; Zacharias incredulus audit,
Atque usum linguae perdidit ille suae.
Cum loquitur Deus, haud tardes fidem habere loquenti,
Et semper credas omnia posse Deum.

XXII.

Maria invisens Elisabeth

Cognata Elisabeth, quod jam conceperat alvo,
  Audierat Virgo jam paritura Deum.
Ergo moras omnes rumpit, famuletur ut illi;
  Non metuit longae multa pericla viae.
Visere tu dubitas, proh quanta superbia nostra!
  Si tibi quis fuerit conditione minor.

XXIII.

Elisabeth alloquens Mariam

Vidit ut Elisabeth ad se venisse Mariam,
  Laetitia exultans ista locuta fuit:
Unde mihi hic honor? haud tali me dignor honore;
  Gaudia jam promit, quem gero ventre puer.
Infantem gestire jubet praesentia Christi,
  Pectore si sumis, quis tibi sensus erit?

XXIV.

Maria ad Elisabeth

Cuncta Deo referens laetissima Virgo Maria
  Acceptas laudes non sinit esse suas.
Corde humilis, reddensque Deo praeconia laudum
  Ancillam Mater se putat esse Dei.
Attollit vocem, et divino numine plena
  Sic corde exultans, ore locuta fuit:

XXV.

Cantici Magnificat Periphrasis

Exultans animus Domini magnalia cantat,
Nec cessat laudes dicere lingua suas.
Laetitiam magnam nequeo compescere cordis,
Cum Salvatorem mente revolvo meum.
Quod me humilem ancillam aspexit celebrare per orbem
Cessabunt nomen saecula nulla meum.
Magna mihi fecit, cujus suprema potestas,
Et cujus magnum nomen in orbe sonat.
Criminibus metuunt illum qui laedere, cernent,
In miseros bonitas quanta futura Dei.
Magna egit qui cuncta potest; dispersus ab illo
Quisquis adhuc fuerat corde superbus homo.
Deposuit tumidos alta de sede potentes,
Atque humiles coelo sustulit ille viros.
Judaeus populus coeli de sedibus altis
Accepit puerum, quem Deus ipse dedit.
Qui fuerat pauper, bona cuncta accepit ab alto,
Et quisquis fuerat dives, inanis abit.
Sic patribus nostris Abram de sanguine natis
Pollicitus nobis hoc Deus ipse fuit.

XXVI.

Ortus Baptistae

Laeta dies venit perfecto temporis orbe,
Editus in lucem qua puer ille fuit.
Iam genitor scripsit, voluitque vocare Joannem,
Dum consanguinei hoc nomen habere vetant.
Mox Zacharias afflatus numine sancto,
Ore loquens iterum talia fatus ait:

XXVII.

Cantici Benedictus Periphrasis

Sit Judaeorum Dominus benedictus in aevum;
Plebs illi tandem grata redempta fuit.
Davidis Christus natus de sanguine claro
Dignatus nobis ferre salutis opem.
Sic olim nobis a saeclis usque vetustis
Perque suos vates ipse locutus erat.
Qui nos oderunt dura ditione prementes,
Nos ille infensis hostibus eripuit.
Sic olim patri nostro promiserat Abrae,
Tempore praefixo, quo dare vellet opem.
Nostrorum patrum sortem miseratus iniquam,
Est nunquam oblitus foederis ille sui.
Hostibus erepti nulloque timore coacti,
Servemus legis dogmata sancta suae
Ut coram Domino nobis dum vita manebit,
Ducamus sanctos et sine labe dies.

Tuque, puer praeclare, prophetae nomen habebis,
Et Domini magna voce praeibis iter,
Tu digito ostendes Dominum, venisse docebis,
Qui tollat populi crimina cuncta sui,
Qui nos prosequitur ferventi semper amore,
Nos qui alta venit visere sede Deus.
Dat lucem caecis, mersisque caligine noctis,
Et verae pacis nos docet ille viam.

XXVIII.

Maria petens Bethlem

Augustus totum describi jusserat orbem,
Debuit et nomen scribere quisque suum.
Paruit Augusto Coeli Regina Maria,
Atque ivit Bethlem consociata viro.
Hoc disce exemplo regi parere jubenti;
Qui spernit regem, spernit et ille Deum.

XXIX.

Diversorium Christi Bethlem

Qui rex est regum, toto qui regnat in orbe,
Imperio cujus subdita cuncta manent,
Non datur ulla domus Bethlem, nemo accipit illum,
At novit Dominum bos, asinusque suum.
Noscere disce Deum Christum ex animalibus ipsis:
Ni nosces, asino, vel bove pejor eris.

XXX.

Christus natus

Qui rex est regum, Coeli terraeque Creator,
Omnia cui parent, nascitur in stabulo.
Qui tamen in foeno jacet, hic qui vagit, et alget,
Eoi reges thura Sabaea ferunt.
A Christo discas mundanum spernere fastum,
Terrenas et opes sperne supervacuas.

XXXI

Christus Circumcisus

Qui non humano conceptus semine natus,
Qui prima immunis labe parentis erat,
Ut solvat poenam culpae, maculatus ut omnis
Cernitur, et legi subditur ille Patris.
Quis se aliis praeferre velit, dum talia cernit?
Quis nolit legi subditus esse Dei?

XXXII.

Nomen Jesu.

Ut posset Christus nobis afferre salutem,
Est sub mortali corpore factus homo.
Ergo vocandus erat praeclaro nomine Jesu:
Hoc illi nomen praebuit ipse Pater.
Hoc nomen reparat culpae tristissima damna;
Saepe voca hoc nomen, tristia nulla time.

XXXIII.

Jesus vocatus Christus

Cur dictus Christus Jesus, qui afferre salutem
Venit, et hoc nomen praebuit ipse Deus?
Rex unctus Christus regum, fuit ille sacerdos,
Atque potestatem junxit utramque simul.
Qui Regi, atque Sacerdoti parere recusat
Christo, mors sceleri non erit una satis.

XXXIV.

Christus natus nocte

Dum natura silet, dum homines, animantia cuncta,
Et dum nox tenebras spargit ubique suas,
Omnipotens Patris sermo de sedibus altis
Adveniens lucem spargit ubique suam.
Ne claudas oculos, dum Christus fulget in Orbe:
Christi audi vocem, dum tibi verba facit.

XXXV.

Angeli canentes ob Christum natum

Plaudite mortales, jam nato plaudite Christo;
Advenit populi vita, salusque sui.
Cernite coelicolas concordi voce canentes
Divinas laudes, Angelicumque melos.
Dum gaudent superi, Christus quod venit in orbe,
Gaudia mortalis quis cohibere potest?

XXXVI.

Hymnus Angelorum

Gloria in excelsis Regique Deoque Deorum,
Sit semper, superum maxima turba canit.
Et sit pax illi, constans et vera voluntas
Noscendi Christum, cui bona semper erit.
Redde Deo grates, qui natum misit in Orbem,
Et Christum toto dilige corde Deum.

XXXVII.

Angelus loquens ad Pastores

Custodes ovium vigilant dum nocte, caventque,
Ne sit grex illis creditus esca lupis,
Angelus a Coelo Christi illis nuntiat ortum,
Ad natum celeres et jubet ire viam.
Quem Deus à Coelo Pastorem lumine replet?
Qui custodit oves sedulus usque suas.

XXXVIII.

Pastores euntes ad Christum

Pastores celeres currunt, caulasque relinquunt;
Et natum flexo poplite quisque colit.
Hos mora nulla tenet, Jesum cito quisque relinquit,
Illorum solum non decet esse gregem.
Qui gregis es Christi pastor, si forte coactus
Deserere, esto redux, nec procul esto diu.

XXXIX.

Pastores erga Jesum.

Pastores ovium inveniunt Praesepe jacentem,
Et nato puero vota, precesque ferunt.
At sacer Historicus non dicit dona tulisse;
Donaque Pastores nulla tulisse reor.
Qui gregis est Christi Pastor, non mittere dona,
Nam dare quae sua sunt, non aliena potest.

XL.

Urbs Bethlem

Quod puero dedit urbs Bethlem cunabula nato,
Quod Christum excepit moenibus illa suis,
Olim Micheae celebrata est ore prophetae;
Atque urbes inter dicta beata fuit.
At vere felix, quo non felicior alter,
Qui potuit Christum gignere corde suo.

XLI.

Stella visa a Magis

Partibus eois visa est clarissima stella;
Regibus haec nati nuntia Regis erat.
Discedunt subito Magi, stellamque sequuntur,
Nil metuunt, illos et mora nulla tenet.
Aspera nulla time, Christumque sequare vocantem:
Ad Christum curras, sit mora nulla tibi,

XLII.

Herodes ob adventum Magorum

Ingressi Solymas Magi petiere quis esset
  Rex natus, novus et Rex ubi natus erat.
Territus at rex Herodes audiverat illos,
  Atque omnis Solymae Urbs plena timoris erat.
Si Christi Reges magnos infantia terret,
  Quis ferre illius Judicis ora potest?

XLIII.

Magi missi Bethlem

Legis Doctores cunas, ubi Christus haberet,
  Dixerunt Magis, stellaque monstrat iter.
Nemo at Doctorum legis dignatur abire
  Cum Magis, Christum et nemo videre cupit.
Saepe Sacerdotes aliis documenta salutis
  Dum tradunt, spernunt ire salutis iter.

XLIV.

Fides Magorum

Longum iter aggressi Christi ad cunabula Magi
  Venere, in votis quod fuit usque suis.
Ut Regem, atque Deum venerantur poplite flexo,
  Dona ferunt, foeno dum puer ille jacet:
Quanta fides Magos Christi ad cunabula duxit!
  Nunc rara est nostro pectore vera fides.

XLV.

Angelus apparens Magis

Magorum reditum Herodes Rex impius optat,
Quod puerum Jesum morte necare cupit.
Angelus at somnis apparens regibus illis,
Quae via ad Herodem duceret, ire vetat.
Sic Magi Herodem potuere illudere: vanum
Consilium Domini reddere nemo potest.

XLVI.

Dona Magorum

Dicere fert animus, nec vanum est dicere, Reges
Quae puero dederant, quid sibi dona velint.
Thure Deum: Regemque auro, mirraque fatentur
Mortalem Reges, hoc sibi dona volunt.
Crede hominem verum Christum, regemque supernum;
At sub mortali corpore crede Deum,

XLVII.

Discessus Magorum

Cum donis Magi puero sua pectora donant,
Et figunt plantis oscula multa suis.
Illo discedunt tandem, puerumque relinquunt;
Non tamen est eadem, quae fuit ante via.
Venimus ad Christum e vitiorum labe, reversis
A Christo culpae non decet ire viam.

XLVIII.

Maria in Templo

Quae fuerat Mater nivei sine labe pudoris,
Quae nullo fuerat contaminata viro,
Sistitur ad Templum, Deus hoc praeceperat ipse,
Ut Matres reliquae, et cum genitrice puer.
At nos misceri cum aliis horrescimus, inter
Et reliquos primo nos juvat esse loco.

XLIX.

Senex Simeon

Forte erat in Templo Simeon aetate provectus,
Aut illum duxit Spiritus ipse Dei.
Iste senex puerum Jesum cum conspicit, illum
Non semel amplectens, oscula multa dedit.
Hoc erat in votis illi, et dum amplectitur ulnis,
Protulit exultans talia verba senex:

L.

Canticum, Nunc dimittis, Periphrasis

Jam laetus moriar, cupio discedere vita;
Dimittas servum nunc, Pater alme, tuum.
Quod fuit in votis semper mea lumina cernunt,
Qui fuerat populi vita, salusque sui.
Qui coram cunctis populis, et gentibus ille
A te jampridem voce paratus erat.
Qui claram lucem totum est laturus in Orbem,
Et qui plebis erit gloria prima suae.

LI.

Herodes occidens infantes

Dum cupit, Herodes Rex Christum morte necare,
Infantum frustrà millia multa necat.
Permetuit stultus terrenum ne auferat ille
Regnum, qui venit regna superna dare
Visere se fingit, dum vult occidere Christum.
Herodi similes quis neget hyppocritas?

LII.

Fuga Christi in Ægyptum

Hei mihi! quid video patria discedere terra,
Omnia cui parent, cogitur ipse Deus.
Ille iram Herodis potuit compescere Regis,
At fugiens vitae consulit ipse suae.
Per te cum possis vitare pericula, vita;
Nam tentare Deum maxima stultitia est.

LIII.

Reditus Christi ex Ægypto

Christus ab Ægypto rediit, discessit ab illa,
Noscere quod Dominum noluit illa suum.
Munera qui spernit divina, carebit et illis;
Et nunquam Coeli munere dignus erit.
Ad te cum veniet Christus, ne respue corde;
A te si Christum respuis, ille fugit.

LIV.

Christus dispersus a Parentibus

Jam Christus fuerat dispersus utroque parente,
Illum sollicitus quaerit uterque parens.
Prae Joseph mater per compita cuncta viasque
Tres quaerit noctes anxia, tresque dies.
Invenit tandem: qui amisit crimine, multis
Si poscit precibus, repperit ille Deum.

LV.

Christus sedens in medio Doctorum

Doctorum in medio Christus sedet, audit et illos,
Et quae natura noverat, ille petit.
Omnes mirantur, quod sit sapientia tanta
In puero, at nemo noverat unde, petit.
Sic est: scire omnes cupiunt, at nemo scienda
Scire amat, aut vana, aut noxia scire cupit.

LVI.

Vita privata Christi

Quem Pater aeternus genuit de numine numen,
Creditur a cunctis filius esse fabri.
Munera non quaerit, non primos quaerit honores,
Et matri, et servo subditur ille suo.
Christus agit vitam ignotam, cui subditur omne,
Corde superbus homo nomen habere cupit.

LVII.

Vita pubblica Christi

Quae privata prius fuerat, fit pubblica vita
Christi: sic illum nunc Pater ipse jubet.
Docturus gentes e coelo venerat ille,
Doctorem tantum pubblica vita decet.
Pubblica vita tibi prodest, privataque vita,
Si tamen ad vitam hanc te vocat ipse Deus

LVIII.

Vita Baptistae in deserto

Docturus populos praeclara voce Joannes,
Et magnus Christi praeco futurus erat.
Innocuam hinc voluit deserto ducere vitam;
Gaudia nec terrae, deliciasque cupit.
Ille ministerio sacro non aptus habendus,
Gaudia qui mundi, deliciasque petit.

LIX.

Mora Baptistae in deserto

Jamdudum sciebat Christum venisse Joannes;
Dixerat hoc illi Spiritus ipse Patris.
Cerneret ut Christum, deserto exire volebat,
At quia nondum illum cernere tempus erat,
Deserto manet: haec virtutum est maxima virtus:
Linquitur ipse Deus, cum Deus ipse jubet.

LX.

Discipuli missi ad Baptistam

Magnus erat vates, et vates maximus inter,
Nec major natus, Christus ut ipse docet,
At se non vatem Baptista fatetur, et inquit:
Se Domini tantum voce praeire vias.
Corde humilis de se nunquam praesumit, et omnes
Dum sibi praeponit, se putat esse nihil.

LXI.

Joannes Baptizans

Huc omnes veniant, ter magna voce Joannes
Clamabat, culpae poeniteatque suae.
Undique magna caeterva virum veniebat ad illum,
Et quot quot veniunt, ille lavabat aqua.
Si te poeniteat culpae de pectore toto,
Sic omni vitae crimine lotus eris.

LXII.

Praedicatio Baptistae

Ut crucient corpus populis Jordanis ad undam
Praedicat, ut culpae poeniteatque suae.
Sic dum baptizat ter magna voce Joannes,
Clamabat, Christi sic parat ille viam.
Si te paeniteat culpae de pectore toto,
Ad Christum tutus, si cupis, ire potes.

LXIII.

Mors S. Joannis Baptistae

Audit Baptistam Herodes, affecit et illum,
Quo tantus vates dignus honore fuit.
In rabiem at versus caput illi caedere jussit;
Sic voluit mulier, sic muliebris amor.
Foemina quam noceat Baptistae morte docemur,
Causa mali tanti faemina sola fuit.

LXIV.

Baptismus Christi

Crimina de Coelo venit qui nostra lavare,
Atque erat immunis sorde, lavatur aqua.
Spiritus et Patris veniens descendit in illum,
Vox Patris auditur: Filius ecce meus:
Spiritus ut Patris donis te repleat, audi
Christum, sic omni crimine mundus eris.

LXV.

Nuptiae in Cana

Defecit vinum, Christus mensae assidet ipse,
Et cum divino pignore mater adest.
Sollicita hoc nato, vinum jam deficit, inquit:
Et subito in vinum tunc aqua versa fuit.
Poscere non audes, Christum pro te illa rogabit:
Ne dubites, Matri nil negat ille suae.

LXVI.

Vocatio Matthaei Apostoli

Quaerebat Matthaeus opes de foenore; Christus
Cum vocat, usque illum linquere cuncta jubet,
Quaestus, et foenus liquit, Christumque secutus,
Protinus et voci paruit ille Dei.
Cede voluntati divinae, haud abnue: vitae,
Nec genus ipse tibi delige: utrumque malum.

LXVII.

Vocatio Petri

Petrus Piscator, Christi post verba vocantis
Illum, non linquens cuncta, secutus erat.
Et sibi piscandi victum quaerebat ab arte;
In mare cui: mittas retia, Chsistus ait.
Omnia Matthaeus liquit, non omnia Petrus;
Iste laboris amans, foenoris ille fuit.

LXVIII.

Vocatio Zacchaei

Cernere non poterat venientem, ex arbore, Christum
Vidit Zacchaeus, corpore parvus homo.
Hunc cernens Christus, descende ex arbore, dixit,
Tecum hodie, mora sit nulla, manere volo.
Zacchaeus cupiit Christum, meruitque videre;
Sic quivis, salvus, si velit, esse potest.

LXIX.

Mater filiorum Zebedei

Offert cum Christo Mater duo pignora dicit:
Hos dextra, et laeva parte sedere jube.
Respondet Christus: calice anne potestis amaro
Vos bibere ex illo, quem bibiturus ego?
Qui sequitur Christum, non quaerat praemia terrae
Praemia pro meritis altera vita dabit.

LXX.

Interrogatio facta Discipulis a Christo

Quid dicunt homines de me, quaesiverat olim
Christus discipulos; talia Petrus ait:
Filius ipse Dei vivi es, sed protinus illi
Concessit Christus praemia digna fide.
Vera fides Christo placuit, semperque placebit:
Illam tolle, Deo nemo placere potest.

LXXI.

Claves Regni Caelorum Petro traditae

Solvetur Coelis fuerit quodcumqne solutum
Terris, nunc claves accipe, trado tibi:
Claudetur Coelis fuerit quodcumque ligatum
Terris, et clausum nemo aperire potest.
Petro Christus ait: Petro peccata fatere,
Hunc praeter culpas solvere nemo petest.

LXXII.

Stater a Petro inventus

Debebat Christus solitum praebere tributum:
Cum stater inventus piscis in ore fuit,
Sic Christus solvit pro se, Petroque tributum;
Sic omnes docuit reddere cuique suum.
Quod poscit Caesar, debes quod solvere solve;
Quodque Deo debes solvere, solve Deo.

LXXIII.

Christus ejiciens de templo vendentes

Qui fuerat semper mitis nunc motus ab ira est,
Nunc e funiculis dura flagella facit.
Iratus templo vendentes ejicit omnes,
Quot quot emunt templo, et talia fatus ait:
Hic locus orandi est, auferte hinc: percitus ira
Quanta est, cum nostro tempore templa videt?

LXXIV.

Mulier adulterio deprehensa

Dixerunt Christo Judaei: ut adultera lege
Haec mulier saxis obruta digna mori est.
Respondit Christus Judaeis: primus in illam
Qui sine peccato est, mittere saxa potest.
At nemo misit lapides: qui immunis ab omni
Est culpa, fratrem judicet ille suum.

LXXV.

Samaritana

Cui bona non fuerat muliebris fama pudoris,
Cum Christo mulier plurima verba facit.
Discipuli cernunt Christum, mirantur et omnes,
Quod cum illo infamis foemina verba facit.
Qui bonus est nunquam miratur, et omne reservat
Legibus occultis, judicioque Dei.

LXXVI.

Christi transfiguratio

Forma alia est Christo, sole et fit clarior ipso;
Albaque fit vestis, candidiorque nive.
Discipuli mirati optant ibi ponere sedem
Perpetuam: Christi gloria tanta fuit.
Gloria tanta fuit Christi tellure manentis,
Regnantis Coelo gloria qualis erit?

LXXVII.

Caecus Jerico

Caecus erat quidam Jerico, qui poplite flexo
Dum transit Christus, talia fatus ait:
Cuncta potes, miserere mei, clarissime regum
Proles, Christe, precor lumina redde mihi.
Non audit Christus, sed tandem lumina reddit:
A prece ne cesses, vim facit illa Deo.

LXXVIII.

Christus habitus Daemoniacus

Daemonia ejiciens hominum de Corpore Christus;
Dum Regi inferno tristia bella facit,
Principis inferni Judaei in nomine dicunt
Daemonia ejicere, et Belsebub esse putant.
Mendaces homines animo quam saepe sinistro
Virtutes magnas crimina magna vocant!

LXXIX.

Judaei Christum lapidare volentes

HyppocritasChristus vult dum emendare superbos,
Et vitae aeternae dogmata vera docet,
Judaei hunc lapidare volunt; se Christus ab illis
Egressus templo subthrait, atque fugit.
In Christum invehimur, dum nos, ut corrigat ille,
Increpat: Haebreis nos sumus ergo pares.

LXXX.

Mulier Chananea

Non poterat mulier Chananea accedere Christo;
Hoc illam vetuit maxima turba virum.
At tetigit vestem sperans sibi posse mederi
Christum, si vestis fimbria tacta foret.
Ob meritum fidei (hanc Christus miratus et ipse)
Sana est facta: fides maxima signa facit.

LXXXI.

Resurrectio filii Viduae

Plorantem vidit Christus de funere nati
  Matrem, cui miserae filius unus erat.
Est lacrymis Matris Christus commotus, et illum,
  Accedens feretro surgere morte jubet.
Religio est mater; Christo haec nos gignit, alitque
  Et reddit vitam fletibus illa suis.

LXXXII.

Multiplicatio panum

Esuriunt turbae, Christus miseretur earum,
  Exsaturat, miris pascit et ille modis.
Panibus hordeaceis paucis, et piscibus omnes
  Exsaturat, quamvis millia quinque forent.
Qui Christum sequitur, Christo pascetur ab ipso;
  Si dubitas, Christus, respice, pascit oves.

LXXXIII.

Lunaticus non sanatus ab Apostolis

Discipulis fuit oblatus lunaticus; aegrum
  Natum Discipulis obtulit ipse pater,
Sanare ut vellent; illorum at nemo mederi,
  Corpore vim morbi pellere nemo potest.
Pro grege pastorum vani sunt saepe labores:
  Sic nemo illorum corde superbus erit.

LXXXIV.

Lunaticus sanctus a Christo

Sanare ut vellet; Christo pater obtulit aegrum;
At morbo immunis protinus ille fuit.
Cur e Discipulis nemo sanaverat illum,
Quaesitus Christus, talia fatus ait:
Hunc morbum ejiciunt jejunia longa, precesque;
Qui facit haec morbos pellere corde potest.

LXXXV.

Filia Jairi

Filia cum Jairi claro de sanguine nata
Flore juventutis morte perempta foret,
Hanc cernens Christus dixit: non morte puella
Haec confecta fuit, mersa sopore jacet.
Mors sopor est hominis; veniet cum Christus in Orbem
Judex, surgemus corpore quisque suo.

LXXXVI.

Socrus Simonis

Simonis socrus febris languebat ab aestu;
Et jam mors celeri venerat atra pede.
Tunc Christus febrim discedere corpore jussit;
Discessit febris, corpore sana fuit.
Christum adhibe medicum, si animo vis pellere morbos:
Morbus avaritia est, luxuria, ambitio.

LXXXVII.

Servus Centurionis

Centurio orabat Christum, sanaret ut aegrum
Servum, nunc veniam visere Christus ait.
Inquit Centurio: quid vis hunc visere? verbum
Dicas, sanus erit protinus ille puer.
Tanta fides placuit Christo, semperque placebit:
Cum poscis quidquid, sit tibi firma fides.

LXXXVIII.

Tempestas a Christo sedata

Ventus erat validus, remigant, multumque laborant
Discipuli, Christus membra sopore levat.
Discipuli clamant: praeceptor surge, perimus:
Ad Christi imperium ventus, et unda cadit.
Si Deus est tecum, metuas discrimina nulla,
In te si Caelum, si mare, terra fremit.

LXXXIX.

Decem Leprosi

Leprosos denos Christus mundaverat omnes;
At qui illi grates redderet, unus erat.
Miratus Christus dixit: cur reddidit unus
Grates? cur reliqui non rediere novem?
E denis grates unus tunc reddidit illi,
Nunc vix e denis millibus unus agit.

XC.

Curatio filii Reguli

Regulus orabat Christum : mihi natus acerbo
 Decumbit morbo, sit mora nulla, veni.
Illi respondit Christus : nisi signa videtis,
 Vult nemo e vobis credere, nulla fides.
Credidit ille procul Christum non posse mederi
 Nato : vera fides Centurionis erat.

XCI.

Manus die sabbati curata

Oblatos aegros Christus sanaverat omnes :
 At cuidam fuerat morbo arefacta manus.
Commotus precibus Christus sanavit et illum ;
 At tunc sacra Deo forte erat illa dies.
Hinc male de Christo Judaei verba locuti :
 Quam saepe est falsus Relligionis amor !

XCII.

Mutus, et surdus sanatus

Mutus erat surdus, digitos cui Christus in aures
 Vix posuit, sputo vix lita lingua fuit,
Protinus audivit surdus praecepta salutis,
 Protinus et laudes lingua locuta Dei.
Non laudansChristum, spernens et dogmata Christi,
 Hic surdi et muti nomine dignus erit.

XCIII.

Paraliticus sanatus

Æger erat quidam, motu cui crura carebant;
Huic dixit Christus: crimina parco tibi.
Deinde gradi jubet, e terra et sibi tollere lectum
Incedit pedibus protinus ille suis.
Cur illum sanaturus peccata remittit?
Sublata culpa tollitur omne malum.

XCIV.

Legio Daemoniorum in porcos missa

Daemonium ejecit misero de corpore Christus,
Prae numero legio quae bene dicta fuit;
Grex vicinus erat porcorum, immisit in illos
Protinus et praeceps in mare totus abit.
In te si immundus Satanas intraverit olim,
In mare culparum praecipitatus eris.

XCV.

Christus maledicens ficum

Ficus erat, fructus nunquam quae protulit ullos,
Et fuerat semper pondus inane solo.
Quam cernens Christus merito maledixit; et illa
Protinus ad Christi verba arefacta fuit.
Æeternae vitae fructus si ferre recusas,
Non secus ac ficus tu maledictus eris.

XCVI.

Christus ambulans supra mare

Petrus erat navi, turbabant aequora venti;
Non procul et gradiens aequore Christus erat.
Petrus opem petiit, Christus non praebuit illi;
Phantasma et Christi credidit esse Petrus.
Dum mala multa gregem vexant, phantasma putandus
Pastor, opem misero si negat ille gregi.

XCVII.

Conversio Magdalenae

Quae mulier fuerat culpis famosa per Urbem
Totam, humilis Christi sistitur ante pedes.
Quos lacrimis lavat, at Christus non respuit illam,
Et dicit: mulier, crimina parco tibi.
Quid dubitas? culpa quamvis maculatus ab omni,
Ad Christum curras, parcet et ille tibi.

XCVIII.

Resurrectio Lazari

Lazarus immiti fuerat jam morte peremptus,
Et positus tumulo quatriduanus erat.
Infremit hunc Christus dum vult revocare sepulchro;
Et cadit ex oculis lacrima multa suis.
Cur flevit? fuerat jamdudum mortuus ille:
Difficile est culpae surgere morte senem.

XCIX.

Lazarus solutus vinculis

Lazarus ad vitae rediit jam lumina, vinclis
Illum Discipulis, solvite, Christus ait:
Illum Discipuli Christo solvere jubente,
Et liber vinclis protinus ille fuit.
Es vinctus culpis? solvet tua vincla Sacerdos;
Hunc praeter, culpis solvere nemo potest.

C.

Iudaei volentes videre Christum

Judaei ut dixere, volebant cernere Christum,
Iudaeae genti si tamen ulla fides.
Non Christum optabant, illumque videre volebant,
Lazarus e tumulo qui redivivus erat.
Virtutem cernens, nimium ne crede colori;
Non aurum verum, quod nitet, omne puta.

CI.

Martha, et Magdalena

Dum soror ante pedes Christi germana sedebat,
Sedula tunc satagit Martha ministerii.
Martha sororis opem petit, a se Christus abire
Non sinit; ante pedes et jubet esse suos.
Hic se operi exercet, meditatur et ille superna;
Servit uterque Deo, vivit uterque bene.

CII.

Probatica Piscina

Clarus erat Piscina locus, quo magna caterva
Ægrorum stabat, dum moveatur aqua.
Angelus adveniens illam quandoque movebat;
Qui se primus erat mergere, sanus erat.
Si tibi sit custos Raphael, medicusque salutis,
Sanus eris, Raphael iste movebat aquam.

CIII.

Mulier duo minuta in Gazofilacio ponens

In loculis templi nummos paupercula paucos
Miserat, et templo praebuit omne suum.
Illam prae cunctis Christus laudavit, acervo
Qui sumunt magno, dona feruntque Deo.
Quod superest offerre Deo, quod inutile nobis,
Non vera est virtus, nec Deus ipse probat.

CIV.

Iejunium Christi

Illecebras carnis Christus non senserat unquam
In se, nec poterat criminis esse reus.
Quis tamen hoc credat? faciens jejunia longa
Indicit ventri tristia bella suo.
Quid faciet peccator, quem urget saeva libido?
Quid faciet culpa contaminatus homo?

CV.

Christi tentatio

Omnes tentamur, Christus tentatus et ipse,
Insidias Satanae Christus et ipse tulit.
Tentatus Christus nos ut discamus ab illo
Vincere nos Satanam qua ratione decet.
Gloriam, opes spernens, imponens fraenaque gulae,
Vicit; sic Satanae tu quoque victor eris.

CVI.

Christus in oratione pernoctans

Discipulos totum mittendos Christus in orbem
Lecturus, fundit fervida vota Deo.
Maxima agebatur res, qua non altera major;
Hinc vigilat tota nocte, Patremque rogat.
Consuluit Christus, Patris sapientia, Patrem,
Cur tu opus omne tuo suscipis ingenio?

CVII.

Christus blandiens pueris

Discipuli pueros pellebant, Christus at inquit
Hos prope me (cur vos pellitis?) esse volo.
Coelorum regnum pueris debetur, et illis
Qui fuerint pueris simplicitate pares.
Sit tibi simplicitas verbis, et rebus agendis;
Gratior illa Deo calliditate senum.

CVIII.

Vox Patris emissa e Coelo

Orabat Christus Patrem: me luce superna
Clarifica, tecum quae fuit usque mihi.
Saepe tuum toto patefeci nomen in orbe;
A me nunc iterum clarificatus eris.
Haec vox e Coelo: quem clara voce fatetur
Ipse Pater, verum quis neget esse Deum?

CIX.

Discipuli e Coelo ignem optantes

Discipuli Christo: vis ut poscamus ab alto
Flammas, ut reprobos devoret ignis edax.
Respondit Christus: non veni perdere Mundum,
Spiritus et vester semper amoris erit.
Quos Deus esse cupit salvos, quos perdere non vult,
Falso homines zelo perdere saepe volunt.

CX.

Iudaei volentes facere Christum Regem

Iudaei Christo sceptrum regale volebant
Tradere, mirati tot benefacta viri.
At subito fugiens Christus se abscondit ab illis,
Contemnens regis munus, et omne decus.
Qui gregis esse cupit Pastor, qui quaerit honores,
Discipulus Christi non bene dictus erit.

CXI.

Veri consanguinei, et parentes Christi.

Qui veri consanguinei verique parentes
Christi, dicamus, Christus ut ipse docet.
Qui sequitur Christum; illius praeceptaque servat,
Est Christi mater, frater, et ille soror.
Nil prodest tibi, quod claro es sanguine natus:
Nobilitas virtus, haec placet una Deo.

CXII.

Cura Ecclesiae tradita Petro

Petro olim Christus: me plus his diligis inquit?
Tu scis te quantum diligo, Petrus ait:
Pascendos agnos et oves tunc tradidit illi.
Christus, tunc curam suscipit ille gregis.
Pastoris sacri munus tu suscipe nunquam,
Ni tibi caelesti pectus amore calet.

CXIII.

Christus orans pro Petro.

Christus ait Petro: Satanas cribrare volebat
Te ut triticum, vanus sed labor omnis erit.
Ne tua deficeret, semperque immota maneret
Vera fides, feci fervida vota Patri.
Pro Petro ipse rogat Christus de Numine Numen,
Nutantem Petri quis putet esse fidem?

CXIV.

Christus flens super Ierusalem

Ob Solymas Christus lacrimas effudit amaras,
Quod Domini vocem spreverat illa sui.
Hostes infensi, caedes, incendia, ut ille
Praedixit, Solymis cuncta fuere mala.
Spernentis praecepta Dei urbs fuit illa figura:
Vae tibi si spernis, tristia cuncta feres.

CXV.

Homo nolens sequi Christum

Quidam Scriba sequi Christum quocumque volebat,
Cum dixit Christus, noluit ille sequi,
Filius est hominis Christus sub paupere tecto,
Atque ubi reclinet non habet ille caput.
Quisquis amat nummos, raro coelestia quaerit:
Est amor hic coeli qui vetat ire viam.

CXVI.

Apostoli contendentes de primatu

Discipulos Christus secum certare quis illos
Inter majorem debet habere locum,
Ut vidit dixit: reges dominantur, at inter
Vos major sociis ille minister erit.
Discite ab exemplo Christi, verbisque subesse;
Et nemo primum quaerat habere locum.

CXVII.

Parabulae. Parabula Filii Prodigi.

Prodigus acceptam partem consumpserat omnem,
Nec poterat siliquis exsaturare famem.
Ad patrem rediit, Pater illum amplectitur ulnis
Protinus, et nudum divite veste tegit.
Pone metum ad Christum redeas, te suscipit ille,
Et reddet Coeli munera cuncta tibi.

CXVIII.

Parabula Zizzaniorum

Nonne bonum semen, dicebat jure colonus
In terram jeci, cur lolium illa tulit?
Haec inimicus homo jecit zizzania terrae,
At collecta mihi tempore messis erunt.
Proecones Christi tradunt dum dogmata vera,
Saepe homines pravi dogmata falsa serunt.

CXIX.

Parabula Nuptiarum Filii Regis

Duxerat uxorem regis de sanguine natus;
Venerat atque domum maxima turba virum.
Hos inter venit quidam, qui veste carebat
Apta: Rex illum jussit abire foras.
Haec vestis divinus amor, qua indutus inibit
Caelestes sedes, qui caret, exul erit.

CXX.

Parabula Servi debitoris

Rex quod debebat, servo dimiserat omne,
Debebat Domino multa talenta suo.
Hic quia noluerat nummos dimittere paucos
Cuidam, Rex jussit reddere cuncta sibi:
Parva aliis ignosce: Deus tibi maxima parcit:
Ni parcis, parcet nec Deus ipse tibi.

CXXI.

Parabula Samaritani

Dum quidam languebat humi, Levita, Sacerdos
Praeteriens vidit, nec miseratus erat.
Incola Samariae vidit, ponensque jumento
Succurit misero qua ratione potest.
Praeter Christum homini succurrit nemo jacenti,
Et Christus verus Samaritanus erat.

CXXII.

Parabula Sagenae

Coelorum est regnum velut in mare missa sagena,
Piscium et omne genus colligit illa sinu.
Non aetas, non conditio, non sexus ab illa
Excipitur, virgo, nec sociata viro.
Qui non ingreditur doleat de nemine: culpa
Tota sua, ipse sibi caussa et origo mali.

CXXIII.

Parabula Talentorum

Iturus Dominus, cui servo bina talenta;
Unum huic, servo illi quinque talenta dedit.
Qui bina, aut quinque accepit, de foenore lucrum
Quaesivit, qui unum condidit ille solo.
Laudavit Dominus primos, damnavit et istum:
Vae tibi, ni ponas foenore dona Dei.

CXXIV.

Parabula decem Virginum

Virginibus denis sapientes quinque fuere,
Atque oleum vasis illae habuere suis.
Stultae e virginibus denis sed quinque fuere,
Atque oleum vasis non habuere suis.
Sis Virgo quamvis, oleum si desit amoris
Divini, casto corpore stultus eris.

CXXV.

Parabula Thesauri

Tellurem fodiens alieno invenit in agro
Thesaurum quidam; ut tolleret emit agrum.
Non habet ille tamen quantum satis esset emendo,
Omnia continuo vendidit, emit agrum.
Thesaurus regnum est Coeli, si inveneris illud,
Omne, ut emas, quod habes vende, relinque, et eme.

CXXVI.

Parabula Dracmae

Dracmam unam quaedam mulier paupercula habebat,
Nescio quo casu perdita dracma fuit.
Amissam haec dracmam quaesivit ubique, domumque
Everrit, donec dracma reperta fuit.
Haec dracma est Coelum, si amittas, sordibus omnem
Verre domum cordis, sic reperire potes.

CXXVII.

Parabula importunae mulierculae

Iudicis auxilium mulier vexata potente
Quaesierat, judex spreverat ille preces.
Illius at precibus fuerat, quod saepe molesta
Commotus judex praebuit auxilium.
Cuncta preces vincunt, illas ne fundere cesses:
Crede mihi, precibus vincitur ipse Deus.

CXXVIII.

Octo Beatitudines. 1.

Cui dixit Christus Coeli se regna daturum,
Quis Christi ipsius voce beatus erit?
Corde humilis sedes intrabit et ille supernas,
Et christi verbis ille beatus erit.
Extra aleam dubii est, fueris si corde superbus,
Non poteris Coeli ponere sede pedem.

CXXIX. II.

Qui motos intus compescit pectore fluctus,
Qui cum aliis omni est tempore pacis amans,
Qui semper pacem summo cum numine servat,
Ille beatus erit, Filius ille Dei.
Qui secum pacem, cum aliis, cum numine servat,
Hic dici felix terque quaterque potest.

CXXX. III.

Qui mitis fuerit, motum et fraenaverit irae,
Qui semper fratri parcit et ille suo,
Ille beatus erit, possessor et ille beatae
Terrae, qua nunquam pulchrior esse potest.
Obsta principiis, irae qui fraena remittit;
Illam, si crevit, vincere nemo potest.

CXXXI. IV.

Ille beatus erit, qui alios miseratur, et omnem
Praebet opem misero quomodocumque potest.
Ille beatus erit, Deus et miserabitur illum,
Dum vivet, Coeli regna et superna dabit.
Indulge, et miserare alios; si pectore duro
Sis, Deus et tecum pectore durus erit.

CXXXII. V.

Justitiae laudanda fames; erit usque beatus,
Illam qui poscit, praetereaque nihil,
Qui dat cuique suum, sibi quod debetur et ipse
Dat sibi, quod debet, solvit et ille Deo.
Iustitiae satur ille bonis cumulabitur, illi
Se Deus ipse dabit, nam Deus omne bonum est.

CXXXIII. VI.

Est luctus signum mortis, signumque salutis,
Et varius luctus signat utrumque tibi.
Ob bona si Coeli luges, erit ille salutis,
Ob bona si terrae vilia, mortis erit.
O nimium felix bona qui ob coelestia luget!
Quodque Deum summum perdidit ille bonum.

CXXXIV. VII.

Spiritus est Deus, et macula est immunis ab omni;
Non illi est sordes ulla, nec esse potest.
Hunc solum fuerint mundi qui corde videbunt,
Quem corde immundo nemo videre potest.
Pectore sis mundus, poteris sic esse beatus;
Possessor summi sic eris usque boni.

CXXXV. VIII.

Justitiam propter nos mundus cum oderit omnis,
Et cum de nobis dicitur omne malum,
Felices erimus, promamus gaudia cordis,
Concedet nobis regna superna Deus.
At si justitiam propter mala cuncta feramus,
Si propter culpas, nil mala nostra juvant.

Quaedam effata Christi

CXXXVI.

Diliges Dominum Deum tuum.

Hoc est praeceptum primum, nullique secundum,
Et dare quid majus nec Deus ipse potest;
Viribus ex totis, semper super omnia tota
Ex mente, et toto dilige corde Deum.
At quid opus fuerat nos Christus ut ipse juberet;
Num quid amore Dei dulcius esse potest?

CXXXVII.

Diliges Proximum tuum sicut teipsum.

Diligite alterutrum, et fraterno semper amore
Christus ait cunctis: sic ego praecipio.
Vos ego dilexi crudeli morte necandus,
In cruce pro vobis aspera quaeque feram.
Quis Christi exemplo et praecepto haud diligit omnes?
Infert et fratri tristia damna suo?

CXXXVIII.

Estote parati

Fur velut occulto veniens in tempore noctis,
Sic subito veniet mors inopina tibi;
Ergo paratus eris ne te mors opprimat, hora
Qua minimè reris, victima mortis eris.
O nimium sapiens, qui morti est usque paratus!
Nemo illi, nec mors ipsa nocere potest.

CXXXIX.

Quid prodest homini, si mundum universum lucretur?

Quid nomen magnum, et totum diffusa per Orbem
Gloria, quid gazae, regnaque cuncta juvant?
Si breve post spatium vitae fugientis ut umbra,
Aut pulvis, tu animae tristia damna feres.
Ergo sis sapiens, pro aeternis sperne caduca;
Te manet aeternnm non peritura domus.

CXL.

Vae mundo a scandalis

Scandala prae cunctis culpis tristissima damna
Saepe ferunt, et nil tristius esse potest.
Scandala virtutes omnes ex orbe fugarunt,
Simpliciumque animos crimina cuncta docent.
At tu virtutum exemplum sis; tristia damna
Scandala quae pariunt, sic reparare potes.

CXLI.

Qui facit voluntatem Patris mei, hic salvus est

Virgine Matre Dei non est felicior ulla,
Et Virgo, et Mater quod fuit illa Dei.
At magis est felix, quod toto tempore vitae
Illa voluntatem fecerit usque Dei.
Nil tibi virtutes prosunt, portenta nec ipsa,
Ni facias de te quod Deus ipse jubet.

CXLII.

Arcta est via, quae ducit ad vitam

Ad mortem ducens, currit quod quisque scelestus,
Est facile, et latum perditionis iter.
At quam perpauci currunt, quae ducit ad astra,
Et qua felices reddimur, arcta via est.
Haec via difficilis, fateor, multique laboris;
At multo est gravius tartara nigra pati.

CXLIII.

Qui vult venire post me, tollat crucem suam

Crux speciosa arbor, qua non speciosior ulla,
Æternae vitae dulcia poma ferens.
Illa fugat vitium omne, et nos virtutibus ornat;
Crux semper Mundi vita salusque fuit.
In Cruce Christus obit, sic vicit tartara, salvus
Vis fieri? debes tu quoque ferre Crucem.

CXLIV.

Qui sequitur me non ambulat in tenebris

Est coecum genus humanum, tenebraeque perOrbem
Sunt sparsae, et vitae lumine quisque caret.
Quot sunt errores, et quanta pericula culpae
Circumdant homines, quis numerare potest?
Vis lucem in tenebris, culpae et vitare pericla?
Si sequeris Christum, lux tibi Christus erit.

CXLV.

ingressus Christi Jerusalem

Dum Christus Solymas, quamvis devectus asello
Intrat, quisque illi plaudit utraque manu.
At post quinque dies populus clamavit, ut ille
In cruce confixus tristia cuncta ferat.
Si fueris sapiens, humanos sperne favores;
Qui modo amicus erat, cras inimicus erit.

CXLVI.

Coena Paschalis

Legali mensa Christus cum accumberet ipse,
(Pascalis cenae misticus agnus erat.)
Dum perversi homines pejores tigribus ipsis
Illum crudeli morte necare volunt,
Illis se totum comedendum praebuit ipsum,
Christi in nos miseros dicite: quantus amor!

CXLVII.

Ioannes decumbens super pectus Christi

Pectore decubuit Christi, solusque Ioannes
Prae reliquis tanto dignus honore fuit.
Cum Christo fuit in Thabor, conversus ad illum
Christus ait Matri: filius ecce tuus.
Cur hunc praecipuo Christus dilexit amore?
Quod toto vitae tempore virgo fuit.

CXLVIII.

Lotio pedum discipulorum a Christo facta

Omnia cui parent, coelum, mare, nubila, tellus,
Qui movet immoto cuncta supercilio,
Ante pedes hominum jacet, en stat poplite flexo;
Nec dubitat sparsos sorde lavare pedes.
Qui te aliis praefers, animos depone superbos,
Atque exemplari vivere disce tuo.

CXLIX.

Judae proditio

A quo prae reliquis dilectus amore, magistrum
Hei mihi! discipulus tradidit ille suum.
At cur hoc fecit Judas? impulsus amore
Argenti, Dominum vendidit ille suum.
Auri sacra fames, quid non mortalia cogit
Pectora? quam nocuit semper avaritia!

CL.

Oratio Christi in horto

Effusis precibus Iesus dum exorat in horto,
Objicit et menti crimina nostra suae,
Sanguineus sudor talos jam manat ad imos,
Illius et multo sanguine terra rubet.
Crimina si cernens Jesus tua sanguine sudat,
Tu siccis oculis crimina tanta vides?

CLI.

Mors Iudae

Ut vidit Judas confectum morte magistrum,
Erubuit culpae, poenituitque suae.
Maluit at mortem laqueo suspensus obire,
Quam firmam in Christo ponere spem veniae.
Poeniteat culpae; at Christo spem ponere debes:
Haec duo junge simul, nil juvat alterutrum.

CLII.

Petri negatio

Pectore qui forti pro Christo cuncta pericla
Spernens, optabat mortis obire diem,
Nunc illum imbellis terret muliercula voce,
Nunc fugit, et Dominum ter negat ille suum.
Cur cecidit? de se nimium praesumpserat ille;
Qui sibi confidit viribus, ille cadet.

CLIII.

Lacrimae Petri.

Peccavi, dixit Petrus, mea maxima culpa est:
At doleo, lacrimis nec modus ullus erit.
Perfundam lacrimas, cum Sol se mergit in undas,
Et quoties lucis nuntia cantet avis.
Ad Petri exemplum, Christum qui saepe negasti,
Te ad Petri exemplum, crimina flere decet.

CLIV.

Christus ligatus columnae

Vestibus exutum, stabili fixumque columnae
Hei mihi quot Jesum dura flagella premunt!
At cur carnifices in Jesum verbera tanta,
Innocuos artus cur lacerare juvat?
Coedite me sontem; flagris onerate; minora
Semper erunt meritis verbera saeva meis.

CLV.

Alapa inflicta Christo

Impie quid faciem, superi quam semper adorant,
Caedis; qua nunquam pulchrior esse potest?
Hoc jus omne vetat: si illi pro crimine paena
Debetur, Iudex, si reus ille, dabit.
At judex amor est, quo non crudelior alter:
Ille jubet Christum tristia cuncta pati.

CLVI.

Christus coronatus spinis

Quod foret ornandum semper fulgentibus astris,

Nunc cingunt Jesu spinea serta caput.
Te Regem ut Coelo faceret, rex ludricus ille
Efficitur, populi ludibriumque sui.
Ast ego te colo, quem spernit gens impia, Jesu,
Et tibi Rex Regum Maxime, flecto genu.

CLVII.

Barabbas praepositus Christo

Qui fuit infamis culpis homicida Barabbas,
Praepositus Christo cur fuit ille Deo?
Cur populus clamat: dimitte hunc, tolle Barabbam
Cur Iudaeorum gens furiosa fremit?
Miramur scelus hoc? praeponit quisque Barabbam
Christo, qui violat dogmata sancta Dei.

CLVIII.

Pilatus damnans Christum

Dicitur in Christum a te cur sententia mortis
Nullius sceleris si reus ille fuit?
Tu metuens homines, humani et principis iram
Principis aeterni perdis amicitiam.
Pilati exemplo quam multi! insania quanta!
Praeponunt falsis vera, hominesque Deo.

CLIX.

Christus denudatus

Qui vestit foliis silvas, et cortice truncos,
Qui vestit campos gramine, veste caret.
Ut peccata tegat nostra, ut virtutibus ornet
Nos miseros homines, vestibus exuitur.

Quis Christo ornatus, virtutum et veste decorus,
Se rursum culpis contaminare velit ?

CLX.

Christus onustus Cruce

Jamque gemit Christus duro sub pondere ligni;
Calvariae colles en cruce onustus adit.
At sibi quae imposuit crudeli morte pianda
Crimina nostra, gravi sunt graviora Cruce.
Pone modum tandem culpis, et fletibus illas
Dele; sic Christo Crux leve pondus erit.

CLXI.

Simon Cireneus

Vulneribus fessus, Christus cum ferre nequiret
Pondus, Simoni tradidit ille crucem.
At cirenaeo cur tradidit ille ferendam
Qui e coelo ut ferret, venerat ille Crucem ?
Ut quoque tu ferres, Coeli si praemia quaeris;
Participem Christi te decet esse Crucis.

CLXII.

Christus Cruce confixus

In Cruce suspensus, clavis confixus acutis
Dum lanquet Christus, sub Cruce mater adest.
Expansis pendet manibus, tibi brachia tendens,
Teque sinu amplecti jam cupit ille suo.
Ad Christum curre, illius te corde reconde,
Numquid corde isto dulcius esse potest?

CLXIII.

Titulus Crucis Christi

Rex Iudaeorum Christus dum dicitur, illum
In Cruce suspensum gens sua morte necat.
At vos Iudaei aut titulum mutate, cruore
Aut Regis vestri ne maculate manus.
Hyppocritae hoc omnes faciunt, Christum ore fatentur
Esse suum Regem, re tamen esse negant.

CLXIV.

Virgo Mater stans sub Cruce

Quid genitrix nato geminas sine fine dolores?
Crux in supplicium non erat una satis?
Sub Cruce fixa manes, Virgo, hunc spectare dolentem
Audes, ut nato compatiare tuo.
Per nati mortem, per tot crudelia passum
Fige, precor, Christi vulnera corde meo.

CLXV.

Clavi Crucis Christi

Quae clavos fecit, clavos quae fixit acutos
Christi in utraqne manu, Christi in utroque pede,
Uratur flammis, aut semper torpida fiat
Artificisque manus, carnificisque manus.
Quid furis in clavos? his mundi vita pependit:
Fecit amor clavos, vulnera fecit amor.

CLXVI.

Crux Christi

Quae probro fuerat Crux, atque infamis ubique
E ligno pendens et maledictus erat,
Nunc pretio est cunctis, ornat Diademata Regum,
Quod Christi claro sanguine sparsa fuit,
Quisque: salus Mundi, Crux o certissima clamet,
Tu mihi praesidium, tu mihi dulce decus.

CLXVII.

Lancea Christi

E Cruce pendentis per tot, tantosque dolores
Lancea quae Christi pectore fixa fuit,
Lancea crudelis, cur nunc celebratur in Orbe?
Cur clarum illius nomen ubique sonat?
Quod portum patefecit vitae, hac pectus apertum,
Quo si te condas pectore, tutus eris.

CLXVIII.

Tunica Christi scissa

In Cruce cum Christo figendo est vestis adempta,
In quatuor partes tunica scissa fuit.
Partibus Haec caruit multis, atque unica semper
Vestis erat, texta et desuper illa fuit.
Sunt quatuor mundi partes, est unica Christi
Religio; Hanc Coelo Christus et ipse tulit.

CLXIX.

Sol defectus lumine in Christi morte

Sol cernens Christum crudeli morte peremptum

Se tegit, et radios lucis ubique negat.
Miratus quidam: naturae aut solvitur ordo
Inquit: naturae vel Deus emoritur.
Sol scelus hoc cernens, nigro se obnumbit amictu,
Hoc cernens siccis tu potes esse genis?

CLXX.

septem verba Christi e Cruce pendentis

Linqueret ut Christus nobis documenta salutis,
E Cruce dum pendet talia fatus ait:
Cum moriturus erat, cum tot, tantosque labores
Ferret, amans nostri sollicitusque fuit.
Sunt haec verba Dei, sunt verba novissima Patris,
Quis non arrectis auribus excipiet?

CLXXI.

Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Cur Pater Æterne, aeterno dilectus amore,
A te deseritur Filius ille tuus?
At Pater Æternus morientem deserit illum,
Ne te desereret cum moriturus eris.
Cum moriturus eris, poteris tu dicere Patri:
In faciem Christi respice, parce, tui.

CLXXII.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum

Me manibus commendo tuis, ter maxime Patrum,
Accipe; trado Pater, Spiritus ecce meus.
Cur se commendat Patri, cur tradidit illum,
Cum fuerit semper Spiritus ille Patris?

Nos sic commendat Patri, nos tradit et omnes :
Quis timor est nobis, jam sumus ergo Patris?

CLXXIII.

Mater ecce Filius tuus.

Filius ecce tuus, tunc Matri dixit Jesus,
E Cruce dum pendens jam moriturus erat.
Praestitit officium Matri, conversus, et inquit
Discipulo : jam nunc haec tua Mater erit.
Sic per Discipulum Matri nos tradidit omnes;
Perfugium haec nobis, nostraque Mater adest.

CLXXIV.

Hodie mecum eris in Paradiso.

E Cruce dum pendet, Latroni dixit Jesus :
Mecum hodie Coeli regna beata petes.
Cur ego diffidam? quae sonti verba latroni
Ille inquit moriens, haec mihi dicta puto.
Dixerit hoc uni satis est, ostendit in uno
Spes de se quantas omnibus esse velit.

CLXXV.

Sitio.

Omnia nunc illi, qui possidet omnia desunt;
Poscentem gelidae deficit haustus aquae.
At non poscit aquas solas; mihi crede, doloris
Ille petit lacrimas; hoc magis ille sitit.
Si defles culpas lacrimis, quae pectore manant,
Faucibus hoc Jesu dulce levamen erit.

CLXXVI.

Pater ignosce illis

In Cruce dum moriturChristus, PaterOptime, dixit
Parce precor turbae, quod scelus illa facit.
Quid faciat nescit, quanto sim dignus amore.
Parce, precor, culpam non videt illa suam.
Jam Pater ignovit, quatiunt jam pectora multi:
Si peccasse dolet, parcet et ille tibi.

CLXXVII.

Consumatum est

De me Christus ait; quod jam cecinere Prophetae,
Est omne impletum, cessit et umbra rei.
Jam scelus impletum est hominum, quid crimine tanto
Majus, quam saeva morte necare Deum?
In Christum et nunc gens Judaica soevit; at istud
Praeclarus vates vaticinatus erat.

CLXXVIII.

Christi clamor in Cruce

En vocem Christus moriens attollit ad astra:
Cur clamat, quid vult hic sibi clamor, ait:
Parce Pater culpis hominum, me dilige toto
Corde homo, disce Satan jussa pavere mea.
Jam Pater ignovit, Regio pavet omnis Averni;
Est duro in Christum pectore solus homo.

CLXXIX.

Et inclinato capite emisit Spiritum.

En caput inclinat Christus, dum lumina vitae
Clauderet: haec moriens tunc ait ille Patri:
En morior, tibi quod placuit, jam impleta voluntas,
Est tua; nunc flexum pectore cerne Caput.
Ne renuas homo quod statuit suprema potestas
De te, cerne, Deo paruit ipse Deus.

CLXXX.

Christi mors

Mortuus est Christus: culpae vis quanta, Deique
In genus humanum cernite quantus amor.
Traditus a Patre pro nobis est Filius ipse,
Et culpae ipse Deus pondere pressus obit.
Ecquis non redamet dum tantum cernit amorem,
Ecquis non culpae tristia damna fleat?

CLXXXI.

Christus mortuus

Aspice, peccator, pro te Dominator Olympi
Christus crudeli morte peremptus obit.
Cuncta Regens silet os, et lumen languet utrumque,
Quod cum tellurem respicit, illa tremit.
Pallentem vultum, quo cuncta superna beantur,
Ecquis dum cernit, temperet a lacrimis?

CLXXXII.

Velum scissum morte Christi

Scinditur en Templi velum, quod sancta tegebat

Sanctorum ; Coeli janua cuique patet.
Olim Iudaeis solis , discrimine nullo
Nunc vitae cunctis est patefcta via.
Nunc datur unicuique Deum cognoscere , coeli
Janua aperta tibi , quisquis es ingredere.

CLXXXIII.

Petrae scissae morte Christi

In Cruce jam moritur Christus, nova monstra videntur,
Praeruptos montes , saxaque scissa vides.
Morte sui Domini certant dare signa doloris
Praeduri lapides , qui ratione carent.
Durus homo corde est , et saxis durior ipsis :
Hoc est portentum , quod super omne fuit.

CLXXXIV.

Terraemotus morte Christi

Terra tremit, cardo terrae est commotus uterque,
Et concussa fuit pondere terra suo.
Erubuit terra , in nihilum jam vellet abire ,
Quod fuerat Domini sparsa cruore sui.
At Deus ipse jubet terram compescere motus ;
Ferre homines, voluit pro quibus ipse mori.

CLXXXV.

Monumenta aperta in morte Christi.

Apparent multis rediviva egressa sepulchris
Tot quae Sanctorum corpora dormierant.
Quid magnum acciderit poscunt, mirantur et omnes

Et potuisse Deum, nec dubitasse mori.
At potuit Deus, et voluit: quis credere posset?
Ne moreretur homo, mortuus ipse Deus.

CLXXXVI.

Sanguis Christi

Non est sanguis Abel fraterna caede necati,
Vindictam in fratrem, suppliciumque petens.
Ille Dei est sanguis, qui nostra ob crimina fusus
A Patre pro nobis munera cuncta petit.
Hic agni est sanguis, cujus conspersa cruore
Ostia nil metuunt, et procul ensis erit.

CLXXXVII.

Sepultura Christi

Hei mihi! quid video? sub terra conditur ille,
Qui Coelum, et terram condidit ex nihilo.
Mortuus es culpae, cum Cristo morte sepultus,
Sic et virtuti tu redivivus eris.
At redivivus eris si Christi vivere vitae
Vis; et te cum illo consepelire decet.

CLXXXVIII.

Sepulchrum Christi.

Epetra fuerat factum, excisumque sepulchrum
Christi, quo nemo contumulatus erat.
At quae causa fuit, tumulo cur nemo sepultus
Ante fuit? cur hoc debuit esse novum?

Virgine qui fuerat natus de Matre, sepultus
Christus, quo tumulo nemo sepultus erat.

CLXXXIX.

Christi descensus ad Inferos

Omnia ut impleret Christus, descendit ad ima
Terrae, ut notum esset nomen ubique suum.
Nuntius ille fuit mortis, vitaeque beatae;
Tristitiaeque malis, laetitiaeque bonis.
Tunc caepere boni vita gaudere beata,
Mortis et imperium non bene ferre mali.

CXC.

Christi resurrectio

Gaudia tempus amat, discedant tristia cuncta;
Surrexit Christus, qui tumulatus erat.
At surrexit qui ante fuit, diversus ab illo;
Vitaque qua vivet, nescia mortis erit.
Sic et cum Christo tu debes surgere; at omnis
Nescia sit culpae quae tibi vita manet.

CXCI.

Quinque cicatrices Vulnerum Christi

Quinque cicatrices servavit corpore Christus,
In Cruce qui moriens vulnera passus erat.
Cur voluit servare? Patri monstraret ut illa,
Posceret et nobis munera cuncta Dei.
Cur ego diffidam, quem Christus morte redemit?
An spernit nati vulnera quinque Pater?

CXCII.

Magdalena iens ad Sepulchrum

Iverat ad Christi monumentum Petrus, et alter
Discipulus, Christum nec reperisse putant.
Ergo abeunt, ivit mulier quaesivit, amanti
Aspexisse semel quod satis esse nequit,
Haec tandem invenit Christum: salvabitur ille
Qui non deseruit quod bene caepit opus.

CXCIII.

Magdalena currens ad Petrum

Quae mulier Christum magno dilexit amore,
Haud tumulo sponsum repperit illa suum.
Ad Petrum currit, flens dicit: necio sponsus,
Quo meus est positus, quo manet ille loco.
Cum nescis quid agas, quid credas, consule Petrum;
In rebus dubiis ille magister erit.

CXCIV.

Apparitio Christi Magdalenae

Surrectum Christum stupefacta Maria videbat;
Atque illum manibus tangere laeta cupit.
Cui dixit Christus: nolime tangere, Petro,
Fratribus atque esto nuntia fida meis.
Tangere cur vetuit? primatum noscere Petri
Omnes debemus, Christus ut ipse jubet.

CXCV.

Discipuli in Emmaus

Ibant Discipuli duo, se sociavit Jesus
Illis, et multum confabulatus erat.
At neuter novit longo sermone loquentem;
Noscitur ut panis fractio facta fuit.
Legem scire nihil prodest; qui fecerit illam,
Qui servat Christi dogmata, salvus erit.

CXCVI.

Infidelitas Thomae

Cum cernit Thomas Christum, tunc credit in illum,
Et Christum Dominum tunc ait esse suum.
At Christus merito improperat quod credere nollet;
Et nisi vidisset, credere noluerat.
Amittis meritum fidei si cernere quaeris:
Quae non vidisti crede, beatus eris.

CXCVII.

Christi ingressus januis clausis

Surrexit tumulo Christus cum corpore vero,
Corpus at alterius conditionis erat.
Attamen est foribus clausis ingressus in aedes,
Et se palpandum praebuit ipse suis.
Quod sit miraris clausas ingressus in aedes,
Qui fuit egressus Virginis ex utero?

CXCVIII.

Christus insufflans super Apostolos

Conditus est Adam, Deus huic spiracula vitae
Praebuit, hunc Christus condidit ipse Deus.
Coelestis Christus tribuit spiracula vitae:
Hanc vitam Sanctus Spiritus intus alit.
A Christo natura homini, cum condidit illum,
Venerat, a Christo gratia et ipsa fuit.

CXCIX.

Potestas data Apostolis

Discipulis Christus: retinete, et solvite culpas;
Solvere cum tempus, cum retinere decet.
Qui semper retinet, semper qui crimina solvit,
Ille ministerii non bene munus obit.
Saepe rigor nimius, nimia et clementia triste
Damnum affert; media est ergo tenenda via.

CC.

Captura Piscium ab Apostolis facta

Navigii in dextram jubeo vos mittere rete:
Discipulis Christus dixerat ipse suis.
Hoc ubi Discipuli, Christo misere jubente,
Jam plenum innumeris piscibus omne fuit:
Relligio Christi vix totum est sparsa per Orbem,
Omnis cum Christum terra secuta fuit.

CCI.

Causae ascensionis Christi. 1. ut nos excitaret ad Coelum

Cor nostrum adCoelum factum est, ubi gaudia vera,
Pondere sed proprio semper ad ima cadit.
Ergo tollendum; Christus conscendit ad astra
E terra in Coelum pectora nostra ferens.
Ecquis adhuc demens in terris corde moratur?
Exul quis patriae non cupit ire viam?

CCII.

2. *Ut pararet nobis locum Coelo.*

Cum Christus Coelum vellet conscendere, dixit
Discipulis: vobis vado parare locum.
Pro nobis offert Patri sua vota, precesque;
Sic nobis facilem sternit ad astra viam.
Ergo quid dubitas te posse ascendere Coelum?
Pro te offert Christus vota, precesque Patri.

CCIII.

3. *Ut aperiret Coelum*

Ostia quae Coeli fuerant per saecula multa
Occlusa, haec nobis Christum aperire decet.
Ingressus Coelum portam patefecit Olympi,
Et secum ingressa est maxima turba Patrum.
Rumpe moras omnes, propera conscendere Coelum,
Pone metum, Coeli janua aperta tibi est

CCIV.

Christi Ascensio

Ut nostra ad Coelum de terra corda levaret
Christus, et offerret vulnera quinque Patri,
Illius et precibus Coelo descenderet alto
Promissus nobis Spiritus ille Patris,
Deseruit terram: ad Coelum nos corda levemus;
In nos promissus Spiritus adveniet.

CCV.

Angelus loquens cum Apostolis

Coelicolae bini sunt talia verba locuti
Discipulis, Christus dum super astra volat;
Quomodo vidistis nunc illum scandere Coelum,
Ad vos in terras sic erit ille redux.
Qui Christum expectat rediturum, erit ille beatus,
Nec metuet culpis judicis ora sui.

CCVI.

Dies Pentecostes

Spiritus advenit Coeli de sedibus altis,
Impleat ut donis pectora nostra suis.
Ignis sub linguis apparet, flaminis instar,
Et sonitu totam replet ubique domum.
Accipiunt simul orantes: tu fervida vota
Funde, in te veniet Spiritus ille Patris

CCVII.

Modus descensus Spiritus Sancti

Spiritus hic visus cur ignis imagine linguae,
Et venti, et quidnam vult sonus ille sibi?
Quod nostrum accendit coelesti pectus amore,
Omnia quod vincit spiritus ille Patris.
Qui Christum novit, per totum praedicat Orbem
Illum, nec patitur corde latere suo.

CCVIII.

Judaei spernentes Apostolos

Discipuli Christi dum idiomata multa loquuntur,
Dum sancto illorum pectus amore calet,
Iudaei ut stultos spernunt, vinoque, diei
Tertia sit quamvis hora, madere putant.
Sic est: saepe vocat stultos sapientia mundi,
Quos movet interius Spiritus ipse Dei.

CCIX.

Discipuli post acceptum Spiritum Sanctum

Spiritus illorum mutavit pectora Sanctus,
Christi Discipulis est quibus ille datus.
Qui fuerant pavidi pro Christo occumbere morte
Iam cupiunt, vitae et nulla pericla timent.
Pro grege qui Christi Pastor fugit omne periclum,
Hunc nondum Christi Spiritus intus alit.

CCX.

Claudus sanatus ab Apostolo Petro

Nummorum auxilium a Petro poscebat egenus,
Ad portam templi claudus utroque pede.
Cui dixit Petrus: nunc Christi nomine surge;
Surrexit claudus; protinus itque viam.
Saepe voca hoc nomen, quo aliud non fortius unquam:
Hoc fretus Coeli tu potes ire viam.

CCXI.

Petrus ambulans

Christus per Petrum faciebat maxima signa,
Pro Christo in terris ille relictus erat.
Ægros ante Petrum certabant ponere multi,
Ægros sanabat corporis umbra Petri.
Saepe voca hoc nomen Petri; pro nomine Petri
Regnantis Coelis omnia Christus aget.

CCXII.

Petrus renuens Judaeis

Turba Sacerdotum Petrum de nomine Christi
Dicere verba vetat, talia Petrus ait:
Nos jubet ipse Deus, vos dicere verba vetatis
De Christo, an liceat spernere jussa Dei?
Cum possis, aliis pare, at parere recusa
Illorum dictis, cum Deus ipse vetat.

CCXXIII.

Conversio S. Pauli Apostoli.

Cur me persequeris Jesus clamavit ab alto,
Et cur Saule mihi bella cruenta geris?
Strathus humi cecidit Saulus; pro nomine Jesu
Iam cupit extremum mortis obire diem.
An quis amat Christum signum non certius isto,
Omnia pro Christi nomine velle pati.

CCXXIV.

Amor Pauli in Christum

In Christum Pauli pectus quanto arsit amore,
Illius ex verbis noscere quisque potest.
Coelicolas omnes, et tristia cuncta lacessit,
Si possent Christum pellere corde suo.
Hic vir hic est fidei Christi qui bella cruenta
Gessit: quam mutat pectora nostra Deus!

CCXXV.

Doctrina Pauli

Scriba fuit Paulus doctos doctissimus inter;
Discipulus clari Gamalielis erat.
Cum tamen ille potest aliquid perdiscere quaerit:
Nec semper libris est procul ille suis.
Qui sacro altari inservit, sit doctus oportet,
Ut possit recte munus obire suum.

CCXXVI.

Apostolatus Pauli

Si potes enumera vitae discrimina cuncta
Vincla, fugas, lapides, verbera, naufragia.
Omnia sustinuit Paulus non territus unquam
Implere ut posset munus Apostolicum.
Qui gregis est Christi Pastor, pro nomine Christi
A Paulo discat tistia quaeque pati.

CCXXVII.

Apostolus Philippus

Reginae eunuchum Candacis jamque Philippus
Proefectum Gazis fonte sacro abluerat:
Cum poterat Gazas sperare Philippus ab illo,
Non quaerit Gazas, nec decus ille sibi.
Protinus at fugit: pro sacro munere nummos
Qui decus aut poscit, non bene munus obit.

CCXXVIII.

Joannes Apostolus in insula Pathmos

Exul erat Pathmos servatus morte Joannes,
Cum scripsit tantc dogmata digna viro.
Ut volat ille aquilae more, ut se tollit ad astra!
Quanta superna docet, quanta futura canit!
Desine mirari sublimia tanta Joannem
Scripsisse, hic Christi pectore decubuit.

CCXXIX.

Joannes Apostolus praedicans

Dum senio confectus erat quid voce Joannes
Praedicat infirma? diligite alterutrum.
Saepius hoc repetit, causam cur addit, et inquit:
Hoc unum, ut debet, qui facit, omne facit:
Diligite alterutrum clamabo semper ubique;
Nam qui odit fratrem, victima mortis erit.

CCXXX.

Visio Petri Apostoli

Ne dubita, hinc comedas quod vis, Pe... Angelus inquit,
Cum vidit Petrus quadrupedum omne genus.
Immundum haud comedamPetrus respondit;at ille
Est mundum, mundum quod Deus ipse facit.
Ne dubites, aut Judaeus, de gentibus ortus
Aut sis,salvum hominum vult Deus omne genus

CCXXXI.

Cornelius Centurio

Cornelio assueto nummis succurrere egentis,
Angelus apparens, talia fatus ait:
Ad Petrum Joppen abeas; Baptismate cunctas
Peccati sordes abluet ille tibi.
Pauperi aperta manus tua sit; nam quisquis egenis
Praebet opem, Coeli munere dignus erit.

CCXXXII.

Contentio Pauli cum Petro

Discipuli Christi nolebant verba salutis
Gentibus afferre; hoc senserat ipse Petrus.
At Paulus contra longo est sermone locutus;
Atque etiam Petri restitit in faciem.
Qui zelo est motus, nescit dicenda tacere;
Personam et nullam respicit ille hominum.

CCXXXIII.

Mors Jacobi Apostoli

Viderat Herodes, quo numquam nequior alter,
Posse animos populi conciliare sibi,
Discipulos omnes Christi si occiderit; ergo
Occisus Jacob, rege jubente, fuit.
Saepe Dei violant homines sanctissima iussa,
Ut possint homines conciliare sibi.

CCXXXIV.

Sanctus Petrus in vinculis

Discipulos omnes Christi vexabat iniquus
Herodes; clausus carcere Petrus erat.
Angelus at noctu confregit ferrea vincla,
Et sic incolumis carcere Petrus abit.
Funde preces, culpae ut vinclo solvaris ab omni,
Nam Petrum vinclis eripuere preces.

CCXXXV.

Ananias, et Zaphiras

Vendiderat fundum, at pretium non attulit omne
  Petro Ananias, fecit et uxor idem.
Non mihi, Spiritui at Sancto mentitus uterque,
  - Petrus ait; subito et stratus uterque solo.
Pontificis summi cathedram, munusque vereri
  Disce hinc, namque Dei fungitur ille vices.

CCXXXVI.

Simon Magus

Obtulerat Simon, quo emeret coelestia dona,
  Argentum, atque aurum; reppulit omne Petrus.
Atque inquit Simoni: hoc sit sibi causa ruinae,
  Quod tibi vis nummo dona parare Dei.
Reppulit omne Petrus, sed nunc pro munere sacro,
  Pro vili et pretio venditur omne sacrum.

CCXXXVII.

Stephanus lapidatus

Quod coleret Stephanus Christum, et documenta salutis
  Tradiderat, saxis obrutus ille fuit.
Vindictam haud poscit, sed pro lapidantibus orat:
  Ne statuas poenam sumere, parce Deus.
Si quis te laedat, vindictam poscere noli;
  At facias pro illo fervida vota Deo.

CCXXXVIII.

Apostolus Mathias Iudae subrogatus

Alter Discipulus Christi mittendus in Orbem
Pro reprobo Juda substituendus erat.
Omnes Discipuli fecerunt vota, precesque;
Mathiaeque datum sorte ministerium.
Nemo sibi assumat praeclarum altaris honorem:
Hoc capiat munus, quem Deus ipse vocat.

CCXXXIX.

Paulus factus omnia omnibus

Pertrahat ut cunctos homines ad dogmata Christi,
Ut doceat verae quemque salutis iter,
Quam studet ingenioPaulus,fitque omnibus omne,
Quam penetrat verbis pectora dura suis!
Qui sacer est Pastor, Pauli noctuque, diuque
Acta legat, Pastor si velit esse bonus

CCXXXX.

Paulus raptus in Coelum

Ad Coeli Paulus sublatus gaudia vidit,
Quae superis reddit praemia summa Deus.
Non tamen ille inquit quae sunt haec gaudia Coeli,
Quae vivens terris dicere nemo potest.
Ecquis erit demens, qui coelo ut vivat in aevum,
In terris nolit tristia quaeque pati?

CCXLI.

Paulus sentiens stimulum carnis

A stimulo carnis perverse immunis ut esset
Ter Paulus fecit fervida vota Deo.
At sapiens Deus, hunc, fieret ne corde superbus,
A stimulo carnis noluit eripere.
Qui vivit terris pugnat cum carne rebelli :
Pugnavit Paulus, pugnat et omnis homo.

CCXLII.

Paulus discedens a Mileto

A Mileto Ephesum Paulus cum vellet abire,
His qui aderant multis, talia fatus ait :
Scitis quanta tuli pro vobis, quomodo semper
Conatus recte munus obire meum.
Non vestem, aut nummos petii: quis dicere posset,
Cum moritur Praesul, talia verba gregi ?

CCXLIII.

Pauli Nazareatus

Promittit Paulus Iudaeo more capillos,
Ut possit fratres conciliare sibi.
At cur nazareat Paulus ? cupit ille placere
Fratribus, ut Christo conciliare queat.
Qui gregis est Christi Pastor, nil semper omittat,
Ut bene commissas pascere possit oves.

CCXLIV.

Paulus castigans Corpus

Ter magnus Paulus, gentes docturus et omnes,
Sollicitus Christi spargere ubique fidem,
Castigat, corpusque domat, documenta salutis
Ne dum aliis tradit, reprobus ipse foret.
Quid facient alii, qui vana per otia vitam
Non cessant culpis contaminare suis?

CCXLV.

Paulus defendens se coram Praeside

Criminibus falsis, positusque in carcere Paulus,
Ut fuerat semper, pectore fortis erat.
Eductus tandem vinclis se Praeside coram
Defendit, causam dicit et ipse suam.
Naturae lex est, ut te defendere possis:
Omnia jura sinunt, facta tuere tua.

CCXLVI.

Paulus laborans

Paulus ut ipse docet, sacris est digna ministris
Merces, et nemo militat aere suo.
Ille tamen parce vivit, manuumque labore,
Fratribus ut sit onus quo minus esse potest.
Pastor oves tondens ad carnem, ut mensa sit illi
Splendida, Pastor oves non amat ille suas.

CCXLVII.

Mors Herodis

Nequitia Herodes homines superaverat omnes,
Et fidei Christi bella cruenta tulit.
Decumbens lecto, et morbo confectus acerbo
In poenam scelerum vermibus esca fuit.
Qui fidei Christi infert bella, augetque triumphos
Illius, atque sibi tristia damna parat.

CCXLVIII.

Prima Synodus habita ab Apostolis

In dubiis fidei Christi coguntur in unum
Discipuli: haec Synodus prima coacta fuit.
Visum hoc Spiritui Sancto, nobisque statutum:
Haec Synodi illius verba fuere Patrum.
Quae Synodi statuunt, statuere et dogmata sacra,
Non homines statuunt, sed Deus ipse docet.

CCXLIX.

Finis novi Testamenti

Olim Judaeis in spe fuit omnia Christus,
Omnia re nobis Christus et ipse fuit.
At Christus mortis victor jam ascendit ad astra:
In Coelo et nobis omnia Christus erit.
Omnia si mundo fuit omni tempore Christus,
Si Christum dicas, dixeris omne simul.

IN RELIGIONIS TRIUMPHOS

Carmen

Relligio, tua bella Canam, magnosque triumphos,
Quos semper pugnans per saecula cuncta tulisti;
Cumque videbaris bello frangenda cruento,
Fregisti infensos hostes victricibus armis.
Cum pater Omnipotens Coeli de sedibus altis
Te misit, quo ferret opem mortalibus aegris;
Tu veteris culpae reparasti tristia damna,
Et clausum nobis reserasti limen Olympi.
Ac veluti Sol Oceani cum surgit ab undis,
Protinus ille suos radios diffundit in Orbe;
Sic tu hominum densas tenebras de mente fugasti,
Ostendens illis quae sit via vera salutis.
At tua, Relligio, tenui meditabor avena
Praelia, quae posset nec Pindarus ore profundo
Dicere, nec vates inter praeclarus Homerus?
Hoc tamen aggrediar, quamvis sim viribus impar;
Et dicam mihi quae sit fiducia caepti.
Non opus aggrediar musis et Apolline fretus:
Sunt vatum haec nugae, vana et commenta deorum.
Te, Patris Omnipotens Verbum, de Numine Numen,
Te voco: tu potes ex imo me tollere ad astra,
Et potes ingenium misero praebere poetae.

Te voco, magna Dei Mater, clarissima Virgo,
Cujus ope haec semper victrix per tela, per hostes,
Relligio stetit, et stabit per saecula cuncta.
Te voco, Relligio, soboles dignissima Coelo;
Tu fer opem vati, tantisque allabere caeptis.

I. Triumphus de Daemone

Relligio est germana homini, mundoque coaeva,
Qua nil esse potest toto praestantius Orbe:
Quam Deus impressit primaevi corde parentis,
Signavit cum illi clarum super omnia lumen.
Jussit amare bonum summum, quo cuncta beantur,
Et cunctos homines fraterno prosequi amore.
Quae si primus homo servasset dogmata Legis,
Nec vetitum cum Æva gustasset conjuge pomum,
Aut poterat terris felicem ducere vitam,
Aut sine morte Dei praesentem cernere vultum.
At Satanas hostis, quo non crudelior alter
Humani generis, pravus cupidusque nocendi,
Invidia motus, quod terque quaterque beatus
Esset homo in terris, paenis cruciandus acerbis
Dum culpae ipse suae ferret tristissima damna;
Tunc primum hic hostis conatus pellere corde
Primi hominis cultum, verae et pietatis amorem.
At frustra conatus erat; nam crimine culpae
Adam se infecit; divinum at pectore cultum
Non omnem pepulit, non est oblitus honoris,
Quo Summus Deus usque bonus super omne colendus.

Poenituit culpae, veniamque accepit ab illo:
Et cum duxisset vitam quasi mille per annos,
Mortuus accepit caelestis praemia Vitae.
Relligio hoc primum bellum cum Daemone gessit,
Hunc primum retulit crudeli de hoste triumphum.

II. Triumphus de Carne

Dogmata Sancta Dei vivens non destitit Adam
Tradere quotquot erant illius femore nati.
Dixit, ut Omnipotens Deus e nihilo omne creavit
» Principio Caelum, et terram, camposque virentes:
» Ut divisit aquas ab aquis, mare fecit et omne,
» Et terram, et Solem, Lunam, Stellasque nitentes;
» Ut fecit virides plantas, animantia cuncta,
» E limo terrae qui finxit membra, animumque
» Indidit, et faciem vitae spiravit ut illi,
» Illius e costa tandem formavit ut Ævam;
» Faedere Conjungii sancto sociavit et illi,
» Ut terram implerent, hominesque ut gignere possent.
» Omnibus his factis, opere ut cessavit ab omni.
» At vetitum pomum mulier gustavit, et astu
» Serpentis victa est, gustandum et tradidit Adae.
» Ob tantam Culpam Paradiso expulsus uterque.
Haec dicens lacrymas fundebat saepe tepentes
Ex oculis multas, lacrymarum et rore rigabat,
Quam terram sterilem vultus sudore colebat.
Dixit ut ipse Deus sortem miseratus iniquam
Humani generis, Serpenti est talia fatus:

» Exurget Mulier, quae tecum bella cruenta
» Pugnabit; Semper tu illius tendere plantis
» Insidias frustra conabere, morsibus illam
» Laedere, namque Caput tibi conteret illa superbum:
» Ex utero cujus, percurso temporis orbe,
» Nascetur, culpae reparet qui tristia damna.
Saepe suis Adam dum dixit talia natis,
Relligio vixit, nunquam et discessit ab orbe.
Adae verba tamen, praeceptaque maxima sprevit
Pars hominum, vitiis cunctis et fraena remisit,
In scelus omne ruens: praesertim faeda libido
Corrumpens homines toto regnabat in Orbe.
Conjugii cum spernentes sanctissima jura
Corporibus cuncti miscebant corpora faeda.
Haci mihi, Relligio, discedere cogeris orbe!
Mortuus est Adam, qui dogmata sancta colebat.
Haud ita: Relligio mansit; non defuit Henoc,
Qui servans animo primi documenta parentis,
Justus erat, coluitque Deum qui pectore casto:
Vixit et ille Noe justus, qui condidit Arcam,
Et docuit prolem virtutis currere callem.
Relligio hoc aliud bellum cum carne rubelli
Gessit, et hunc alium retulit de Carne triumphum.

III. Trimphus de superstitione

Vana Superstitio totum diffusa per Orbem
Religionis opus diro prosternere bello
Est conata, Dei verumque expellere cultum

Ex animis hominum, dum numina falsa Deorum
Orbe colebatur toto, vitiumque per omne
Gens omnis ruerat cultus sub imagine falsi.
Jupiter incestus, divum pater atque hominum rex,
Cultus honore fuit, dum tolleret ille puellas
Sub bovis aut specie, fictae aut velamine nubis.
Juno, jovis Conjux, ultrix saevissima semper,
Exemplis homines saevam impellebat ad iram.
Nata Jovis Pallas, Patris quae egressa cerebro,
Dicta Dea est Sapiens; omnis Sapientia et illi
Est data: quaeque venit Caeli de sedibus altis,
Acceptam hanc falso referebat quisque Minervae.
Culta Venus fuit: ad turpem impellebat Amorem
Quemlibet haec hominem, quantumvis frigidus esset:
Pulchra puella fuit, depicta et Corpore nudo;
Et Charites inter ducebat faeda choreas.
Ludebat semper vario circumdata flore,
Et cunctis membris turpem spirabat amorem.
Mars crudelis erat, qui bella cruenta ciebat,
Impatiens pacis, semperque cruoris amator;
Acceptum huic omnes referebant de hoste triumphum.
Huic magis acceptus bello qui corpora plura
Straverat; hoc prae aliis coluit gens Romula numen.
Mercurius raptor, furum patronus; et ille,
Quisquis erat melius furandi callidus arte,
Mercurio placuit magis; huic aliena placebant.
Bacchus et indulgens genio, vineaeque repertor;

Ille homines docuit per turpia currere cuncta,
Impulit ille homines ut esta luce maderent
Ut male se ferrent, pedibusque errantibus irent:
Ad summum vitium quodvis regnabat in Orbe,
Dum Gens quaeque Deum turmis praebebat honorem.
Cum exemplo impulsus dicebat quisque, deorum:
Cur ego non faciam fecit quod Jupiter ipse?
Virtutes omnes etiam gens quaeque colebat;
Ut si forte illas virtutis imagine falsae
Quis coleret, falsis referendas esse putaret
Dis, non vero, uni, rerum summoque Datori,
Omne bonum nobis cujus de munere venit;
Et magis atque magis mortali pectore cultus
Numinis Æterni toto procul iret ab Orbe.
Praeterea mala cuncta, febris, mors ipsa fuere
Numina falsa deûm, nec non et tristia cuncta.
His homines stulti faciebant vota, precesque,
Ne saperent unquam, verum nec noscere numen
Inciperent tandem, punit quod jure scelestos
Hisce malis, et nigra illos in tartara mittit.
Utile quicquid erat, quod proderat omne colebant.
Flumina culta, lacus, tellus, Sol, Lunaque, Venti,
Æquor tranquillum: Neptunus et aequoris undas
Ponebat, tollebat aquas, mare et omne tridente.
Numinis ut veri, coelo quod cuncta gubernat;
Immemores homines, dum numina falsa colebant,
Illis solliciti praeberent thuris honores.

Nil magnum, aut parvum coeptum sine numine divum.
Ab Jove principium capiebat quisque Poeta.
Artis aruspicinae, qua nil fallacius unquam,
Magnus honor semper: quid numina vana Deorum
Vellent, quaesitum ex extis, aviumque volatu,
An felix faustum, fortunatumque quid esset.
Denique gens omnis pendebat ab ore Deorum.
De natura hominis, de vera et origine mundi,
Haei mihi quot vanas nugas, quot digna cachinnis,
Indigna et sapiente viro cecinere poetae!
Hei mihi! nos natos fungorum more putarunt
E terra, atque animam divinae particulam aurae,
Aut ignem, japheti proles quem duxit ab alto.
Colluvies terris hinc venit cuncta malorum,
Cum Dî miserunt in terram e sedibus altis
Ollam Pandorae, unde mala emersere per orbem.
Vulgus at indoctum coleret quod numina falsa,
Nil mirum; sed Philosophi, mirabile visu!
Quod colerent. Plato, quo non praestantior alter
Dicere digna Deo, divini et nomine dictus,
Numina falsa Deûm placabat sanguine tauri.
Illos credo equidem non numina vera putasse,
Allia, vel caepas quae nascebantur in hortis,
Truncos, et lapides, angues, porcosque, bovesque.
At ne judicibus coram pro crimine poenam
Hi luerent, omni quod religione carebant,
Aut sibi mulcerent indoctae pectora plebis,

Dumque omnis populus dura cervice colebat
Numina falsa Deûm post tot, portentaque tanta,
Quae Deus omnipotens fecit, miseratus et illum
Sub dura Ægypti regis ditione gementem;
Cum paucis Moyses toto dilexit amore
Jussa Dei, et populum haec dictis factisque docebat.
Incola Samariae regis cum exempla secutus
Religione patrum vera discesserat, omnis
Impius et populus dum numina falsa colebat,
Tunc Solymis, templo, quo nil augustius unquam,
Victima multa Deo est mactata, araeque calebant
Thure; Dei veri laudes, hymnosque canebat
Turba Sacerdotum multis sociata Levitis.
At dum Judaeus populus Babylone gemebat,
Judaei et populi pars maxima falsa colebat
Numina Persarum, Tobias pectore toto
Dilexit Dominum, Daniel, aliique fuere,
Qui pro lege Dei tristissima quaeque ferebant.
Ad patrias sedes populus remeaverat omnis,
Ædes Sacra Deo est iterum tunc condita vero:
Sed tunc in Solymis ipsis pejora fuere
Heu mala! sunt spreti ritus, sacrique ministri
Atque omnis populus miscebat sacra profanis.
Gens Machabaeorum totum celebrata per orbem
Praelia tunc Domini pugnavit fortia semper;
Non semel atque hostes discedere ab urbe coegit.
Occubuit tandem patriis pro legibus omnis,
Et verum fuso signavit sanguine cultum.

Ergo omnes reges Satanas commovit in illam.
Turba Sacerdotum, quae numina falsa colebat,
Altera causa fuit, regum quae pectora movit,
Viribus ut cunctis Cristi prosternere regnum
Conati vellent cultum servare Deorum.
Haec tacitus secum dicebat quisque Sacerdos:
» Si nova religio toto spargatur in orbe,
» Unum quae docet esse Deum, quae numina nostra
» Vana hominum commenta vocat, spernendaque cunctis,
» De nobis quid erit? Claudentur templa Deorum:
» Vota feret nemo, et gesturus praelia nemo
» Dona feret nobis poscens oracula divûm.
» Victima nulla cadet, cujus de carne parantur
» Nobis et domibus nostris convivia lauta.
» Omnes nos spernent, contemnent numina nostra,
» Nec dabimus leges Divûm sub nomine cunctis.
» Ergo omnes homines Christi in praecepta ciendi.
» Nil intentatum nobis linquatur ubique:
» Cura erit haec omnis, lapidemque movebimus omnem,
» Ut nova religio bellis vexata cruentis
» Deficiat tandem, tollatur nomen et ipsum;
» Et divûm cultus toto fervescat in Orbe.
» Praesertim reges in Christum armabimus omnes.
» Si laetas segetes non reddat terra benigna,
» Si malesana lues per cunctas saeviat Urbes,

» Ni veniat nostris ducibus victoria laeta ;
» Nec sternant acies adversas marte favente,
» Si Tyberis lecto egressus totam alluat Urbem,
» Saevaque si miseros Cives discordia vexet ;
» Haec nobis Divûm mitti dicamus ob iram,
» Quod nova Religio, atque illis inimica per Orbem
» Funditur, et veteres illorum diruit aras.
Hisce igitur dictis regum movere furorem,
Ut conarentur quantum pro viribus esset,
Ne nova religio terrae consisteret oris.
Tertia causa fuit, quae homines incendit ad iram,
Praesertim reges in Christi dogmata vera.
Principio dicam, haec fuerint verissima quamvis,
Fronte videbantur prima spernenda per Orbem,
Et multa adversa secum pugnantia fronte.
Multa quidem illorum sunt nostrae impervia menti:
Quod Deus ex nihilo Coelum, terramque creavit,
Quod quamvis simplex, simul est et trinus et unus,
Quod Christus Deus est, magnoque coaeva parenti
Progenies, et homo natus de Virgine Matre.
Quis prima fronte haec non excipienda putaret
Risibus aeternis? Et cum Urbs audivit Athenae,
Corpora quod nostra exibunt rediviva sepulchris,
Quae fuerant, eadem, cuncti risere cachinnis.
Sunt majora tamen, fidei quae bella cruenta
Inferrent Christi, sapiens quae nemo negabit.
Religio Christi virtutes praecipit omnes.

Haec vetat in fratrem irasci; si laeserit ille,
Parcendum ex animo, quaerenda est ultio nuquam.
Cum possis, fer opem, fraterno et dilige amore.
Fraenandus gulae stimulus, fraenanda libido.
Qui cupit Uxorem alterius, jam maechus habendus,
Quod bona debemus praesentis spernere vitae;
Et quod thesauros nostros componere Coelo,
Et vitam veluti peregrinos ducere terra;
Quod nil divitiae prosunt, nil omnia regna,
Vel minimum haec si animae detrimentum afferre videntur.
Talia num poterant audiri dogmata Christi,
Quae vitiis cunctis indicunt tristia bella?
Quaeque jubent homines rationis vivere norma;
Queis fraudes, odia, et caedes pelluntur ab aula;
Nam regum exemplo totus componitur Orbis.
Sic regum rabies armata in dogmata Christi.
Finge animo, quodcunque potes, tormenta, secures,
Verbera, vincla, famem, cruciatus Corporis omnes,
Exilium, flammas, undas, rabidosque leones:
Omnia, qui Christi sunt dogmata vera secuti,
Omnia forti animo passi: constantia nunquam
Defuit, ut fuerint mirati saepe tyranni.
Non numero annorum parsum, curvaeque senectae,
Non tenerae aetati. Agneti non parcitur illi,
Quae quamvis esset primaevo flore juventae,
Aspera cuncta tulit, toto et laudabitur Orbe.

In patrem insurgit natus, praedixit ut ipse
Christus, et ipse pater natorum a judice poenam
Poscit: quis cohibet lacrymas dum talia fatur?
Praecipue in sacros placuit saevire tyrannis
Pastores Ovium Christi; fore namque putabant,
Ut grex, amisso pastore, errare coactus,
Dispersus tandem a Christi discedat Ovili,
Et velit ad veterem cultum remeare Deorum.
Ergo luporum instar, qui avidi caecique furore
Aggrediuntur oves, et acutis dentibus escam
Arripiunt, lacerant, vix pellem, atque ossa relinquunt;
Prae reliquis reges, et quotquot munera obibant
Pubblica, pastores sacros, Christique ministros
Caedebant male mulctatos, vinctosque catenis
Urebant flammis, rabidisque leonibus escam
Praebebant, plebi ut fierent spectacula grata,
Sanguine manantes multo rhedam ante ferebant,
Ad fodinas aut damnabant, lapidesque secandos.
Saepe at pastores, quos infula sacra tegebat,
Aut subter terram tenebris specubusque latebant,
Non mortem ut fugerent; (pro Christo fundere vitam
Semper enim optabant, et tolli ad gaudia Coeli);
Sed ne grex illis carus pastore careret,
Religio et Christi pateretur tristia damna.
Heu quae currebant fidei mala tempora Christi!

Fluctibus in mediis et vastis aequoris undis ,
Dum furit unda maris , secum boreasque notusque ,
Et fronte adversa Zephirus confligit et Auster ;
Dum nox atra tegit coelum , nec sidera fulgent ,
Nec regio vicina apparet , portus et ullus ;
Æquore sa a sonant , montes volvutur aquarum ;
Si forte in mediis navis deprehensa sit undis ,
Cuncta pericla timet , dum intentant omnia mortem.
Saucius est malus , jam antennas navita gementes
Permetuens audit , tollitque ad Sidera fletus.
Luctus ubique pavor, et plurima mortis imago est,
Discordant Nautae , dubiis quid rebus agendum ,
Atque gubernaclum rector jam deserit ; irae
Committit venti navem , quae mergitur undis.
Non secus adversis cunctis vexata ruinam
Religio Christi metuebat ubique , pericla .
Cuncta : at dum fuerat navis mergenda sub undis
Et quasi mersa fuit, subito caput extulit undis.
Fundebant aliqui Christi pro nomine vitam ;
Sanguine at illorum quasi semine millia multa
Mox hominum exorta, et numerus crescebat in horas,
Qui colerent Christum , numen super omnia solum ;
Qui se velle mori pro Christi nomine aperta
Fronte faterentur. Non sic socianda marito
Ad thalamum virgo , Non sic ad patria tecta
Exul jamdudum properat ; nil detinet illum :
Ut multi optabant caput objectare periclis :

Dumque unus constans animo tormenta ferebat,
Plures clamabant : cur nos , qui signa secuti
Usque sumus Christi , quem toto cordis amore
Diligimus , pro illo et discrimina nulla timemus ,
Cur nos non eadem patimur , quae sustulit iste ?
Unum si crimen , cur non punimur eadem
Poena , cur non et simili dignamur honore?
Sortem alii sibi praereptam, palmamque dolebant,
Quod nondum detur pro Christo occumbere morti ,
Parcere cum ferro voluisset forte tyrannus ;
Quod putat aut operam vanam se perdere in illis ,
Aut non vult illos crudeli morte necare ,
Quos claros videt ingenio , virtute , vel armis.
Virgo fuit quaedam , vere dicenda virago ,
Gaudia quae promens cordis , pro nomine Christi
Quod fuerat damnata mori , dum accenditur ignis,
Illa morae impatiens, sitiens ut currit aquarum
Ad fontem Cerva , illa celer se jecit in ignem.
Mater erat quaedam , quae sex jam pignora vidit
Mortua pro Christo ; reliquus vix parvulus unus,
Ingenua forma : hunc miseratus et ipse tyrannus.
Ergo inquit Matri ; ut veneretur numina nostra ,
Dic illi , si forte velit , quod spero futurum ,
A me divitias , magnos et habebit honores.
Tunc Mater sic orsa loqui : « Carissime nate ,
» Dulce decus vitae , et vita mihi dulcior ipsa ,
» Aspera quaeque feras , oculos ad sidera tollas:

» Aspice : jamque tibi patefacta est janua Coeli ;
» Illic cum Christo vives per saecula cuncta.
Audit, miratur, putat haec portenta tyrannus :
Protinus ergo furit ; quod foemina luserit illum,
Vicerit imbellis mulier, quod spreverit iram.
Et simul est motus variis affectibus intus :
Quid facit incertus rerum, compescat an ira
Commotos fluctus, irae ve remittit habenas.
Imposita interea plaustris, jacienda vel undis
Corpora natorum, aut flammis ; quod parvulus ille,
Qui semivivus erat, sperabant vivere posse,
Non fuit impositus plaustro, genitrice dolente ;
Haec plaustro imposuit : sic junctus fratribus ille,
Dum fertur plaustro, Superis discessit ab oris ;
Et clarus meritis ad claustra superna volavit.
At qui homines poterant mortem, tormentaq; cuncta
Spernere pro Christo ? virtuti praemia magna,
Qui praebet, vitae sed praemia cuncta futurae?
Ferrea an illorum fuerat natura, nec ullus
Sensus erat multos inter magnosque dolores ?
Principio dicam : Christi dum vera putabant
Dogmata, cernebant oculis ter maxima signa.
Quod manaret aqua e saxo, saevique leones
Coram martyribus Christi quod poplite flexo
Starent ; non ipsos violaret flamma capillos ;
Nomine quod Christi multi de faucibus Orci
Erepti fuerant, et corpora multa sepulchro

Exierant rediviva ad vitae luminis auras.
Praeterea Coeli cupientes gaudia summa
Hoc unum optabant, egressi ut Corporis hujus
Carcere ad aeternae transirent praemia vitae.
Accedit quod sperabant tormenta ferentes
Posse, juvante Deo, perferre asperrima quaeque.
Nomine pro Christi conjecta in vincula quaedam
Imbellis mulier, prolem quae ventre gerebat.
Haec posita in vinclis caepit perferre dolores
Partus: dum queritur, tortor tunc talia fatus
Illi: « Nunc quereris? Cum mortem, et verbera saeva
» Cum mala cuncta feres, poteris qui ferre dolores?
» Quid facies? mulier sic illi verba locuta est:
» Hos ego nunc cogor partus perferre dolores;
» Tunc pro me patitur Christus, mihi robur et dit.
Sic inquit, partusque levata doloris exit
Carcere., et ad mortem festinans laeta cucurrit.
Perpetuae mulier praeclara haec nomen habebat,
Carmine perpetuo totum celebranda per Orbem.
Quantus at illorum numerus, qui pectore forti
Nomine pro Christi voluere occumbere morti,
Dicere quis poterit? sed dicere possumus ista:
Saecula per quatuor saevitum est semper in illos,
Qui Christum coluere Deum: et si forte parumper
Cessavit bellum, quod lassus jamque tyrannus

Saevitiae fuerat, tormenta horrebat et ipsa;
Mox magis atque magis rabies saevissima belli
Crevit, et innumeros ad Coeli gaudia misit.
Crudeles homines pejores tigribus ipsis
Romano imperio praerant, totumque per Orbem
Sanguine signabant leges, populisque ferebant.
Monstrum quale Nero materna caede cruentus,
Saevitiae fuerit, quam humanae caedis amator!
Sit quamvis rudis historiae quis nesciat illud?
Qui fuerint alii plures, quo tempore Christi
Religio in mundum venit, quam caedis amantes
At Trajanus erat, quo non praestantior alter
Imperio populos regere, Antoninus et ille,
Quem dixere pium magno pietatis amore,
Marcus et Aurelius, merito qui nomine dictus
Philosophi, impositum qui recte munus obivit.
Horum quisque fuit toto celebratus in Orbe.
At quos laudavi, quorum sapientia tanta,
Ex animo colerent quod numina falsa deorum,
Se Dis praestare obsequium, cultumque putabant,
Si fidei Christi inferrent tristissima bella.
Sidera non Coelo tot lucent nocte serena,
Non tot Roma potens bellantes misit ad arma,
Nomine pro Christi quot millia caesa fuere.
Quotquot erant fluvii humano caluere cruore,
Terra omnis madida est humano sanguine facta.
Omnis erat carcer plenus; deeratque tyrannis

Saevitia, et robur, deerat constantia nunquam
Athletis Christi: magis at diffusa per Orbem
Religio Christi, claros retulitque triumphos.
Vos superum turmae, si dicere tanta potestis,
Dicite quot fortes ad clautrsa superna tyranni
Misere Heroas, quot tempora digna coronis
Ornavit Christus, coelo qui praemia reddit.
Religio hunc quartum crudeli de hoste triumphum
Rettulit, extremis semper servata ruinis.

V. Triumphus De Haeresibus

Gaudia tempus amat; paulo meliora canamus,
Tempora pacis eunt, abjerunt tristia bella.
Post varios Casus, post tot discrimina rerum
Religio Christi tandem pacata quiescit;
Et gentes Christi venerabile nomen adorant.
Ac veluti cum post hyemem, pluviasque frequentes,
Cum nive, cum glacie terra omnis tecta latebat,
Et cum clara dies raro sine nubibus ibat:
Flumina constiterant, maris omnis et unda fremebat,
Cum pecudes pastor semper claudebat ovili,
Lignaque multa foco imponens dum stabat ad ignem,
Et madidus vino pellebat pectore curas;
Post quatuor menses, cum ver apparet amoenum,
Omnia mutantur; glacies jam solvitur omnis,
Discedit saevus Boreas, Zephirusque susurrat:
Allicit ad somnum rivus cum dulcis aquarum;
Gratior itque dies, collucent sidera nocte;

Nec stabulo gaudent pecudes, nec arator ad ignem
Stare, chorum ducunt pueri, innuptaeque puellae.
Nauta ratem reficit, ventis et carbasa pandit;
Gramine vestitur tellus, ornatur et arbor
Frondibus, atque anni laetissima tempora currunt.
Sic Christi regnum post tot, tantosque labores
Perfruitur pace, et laetos canit usque triumphos.
Strata solo cecidere Deûm clarissima templa;
Maxima templa Deo vero tolluntur ad astra;
Et gentes Christum venerantur thure Sabaeo.
Frustra poscit opem divum depressa ruinis
Caeca superstitio, tollitque ad numina palmas.
Jam Constantinus merito cognomine magnus,
Non quod Maxenti contriverit arma tyranni,
Sed quod jam Christum veneratur poplite flexo;
En crucis exornat ligno diademata clara:
Fert Crucis in castris signum, dum praelia pugnat;
Hoc hostes signo confidit sternere posse.
At mox incipiunt pejora prioribus esse
Tempora, Religio Christi turbatur ubique;
Nam perversi homines, Satanas quos misit ab imis
Sedibus Inferni, promentes ore venenum,
Ambitione mala, pravaque cupidine falsi
Impulsi, ut fidei Christi tristissima damna
Inferrent, magno ingenio, et sermone diserto,
Causa fuere mali tanti, quo tristius unquam
Religio haud habuit; magis hoc lacrimabile bellum,

Quam quod per multos annos fecere tyranni.
Innumeros isti misere ad tartara nigra,
Quod dum multorum mentes erroribus implent,
Verae aut virtutis cogunt discedere calle,
Aut via quae vera est cogunt nescire salutis.
At dum Religio tristissima damna ferebat,
Has misisse reor moestas e pectore voces;
» Non mihi tam nocuere enses, saevique tyranni,
» Quam nocuit pax ista: mihi tot pignora ademit,
» Quot nunquam occidit quatuor per saecula ferrum.
At non fert animus quot, quantaque falsa fuere
Dogmata, quae haeretici sunt ausi tradere fronte
Perfricta; non fert longo sermone referre,
Quaeque silenda magis nobis, et flenda fuere.
Pauca tamen referam, sed maxima; quaeque tulere
Prae reliquis fidei Christi tristissima damna.
Religio Christi hoc nixa est fundamine, Verbum
Quod verus Deus est, Patrique per omnia Compar
Progenies, quodque est eadem substantia Patris
Ac sua, quod cum Patre simul Verbum omne creavit;
Quodque coaeternum Patri fuit omne per aevum.
Hoc primum fidei dogma inficiatus Arius,
Cujus erit nunquam non detestabile nomen.
Hic ergo docuit Verbum esse a Patre creatum,
Naturaque sua cunctis praestare creatis.
Esse tamen factum, et compar non omnia Patri,
Quodque fuit pejus, multi doctique favebant

Huic tanto errori, quo nunquam tristior alter.
Protinus at contra armata est ter magna caterva
Pastorum, quorum caput infula sacra tegebat.
Prae reliquis pugnans Athanasius extitit ille,
Inter-et-Heroas vixit ter-maximus omnes:
Hic animo impavidus medios irrumpit in hostes:
Omnia fert, dictis, scriptisque refellit Arium.
Patribus e Cunctis Synodus collecta Nicaeae est,
Quae Constantino coram damnavit Arium,
Quotquot et illius sunt dogmata falsa secuti;
Christi et vera fides magis est firmata per Orbem.
Non tamen illi Animus defecit, at aspidis instar
Atra venena vomens, crudeli est percitus ira.
Callidus insidiis cepit, qui sceptra tenebant;
Qui positis regni curis, quis credere posset?
Maluerant verae fidei per damna videri
Docti, quam quae nescierant, nescire fateri.
Fusus ubique fuit sic pessimus error Arii:
Et tunc vera fides Christi gemuisse videtur.
Fortis at obdurans, perstansque Athanasius usque
Dogmate pro vero dum murus haeneus esset,
Haud Labefactatus quamvis percussus ab ictu
Saepius arietis, aut arbos quae vertice montis
Est agitata euro, sed vento immota resistit.
Haud unquam victus, vicitque obstantia cuncta.
Non semel huc illuc est ille coactus abire
Ex patria, procul a grege, pro quo fundere vitam

Optavit semper; mox at revocatus ad illum:
Nunc iterum ejicitur, nunc et patris ille sepulchro
Abditur: a Synodis falsis de crimine falso
Damnatus poenis; at mox absolvitur insons:
Sustinuit semper, nulli parcensque labori,
Et coram cunctis, et aperta voce locutus:
» Verbum, ait, est verus Deus, et de numine nu-
» men:
» Omnia par Patri, cum illo quod condidit omne;
» Verbum quod nunquam caepit, Patrique coaevum.
Tantae molis erat Dogma hoc firmare per aevum.
Sic est cum multis Sociis damnatus Arius;
Et mox expertus supremi vindicis iram;
Et scelus ob tantum est inopina morte peremptus.
Cum Verbum sumpsit carnem de virgine matre,
Divinam humanamque simul conjunxit in unum,
Utraque salva tamen mansit natura, Deique
Atque hominis quod erat mansit, confusaque neutra
Natura in Christo, confusam utramque fuisse,
Manserit ut neutra illorum, fuit Eutichis error.
Protinus hic error, quo nil est stultius unquam,
Damnatus cunctis; mansit confusus ubique
Qui Dogma asseruit, pressoque obmutuit ore.
Reliquiae tamen erroris pejora tulere
Damna: fuit quidam latebris egressus Averni
Sergius, infamis vitiis, et acumine mentis;
Callidus ut Satanas, Satanaque nocentior ipso.

Fraudibus illusit multos, decepit et ipsum,
Pontificis summi munus qui grande gerebat.
At mox agnovit quis erat, damnavit et illum.
Ergo voluntate humana caruisse docebat
Christum: sic non verus homo fuit ille putandus,
Cui deerat velle, et munus super omnia summum.
Nestorius praesul nimio commotus ab aestu
Euthichis errorem dum vult refutare, priore
Incidit in pejus; subsistere namque duobus
Is docuit Christum, et naturam utramque fuisse
Conjunctam exterius, sic et conjungitur ille,
Est quicunque Deo sancto conjunctus amore
Faedere amicitiae, sic junctus amicus amico.
Si tamen hoc verum, tunc nulla redemptio nostra:
Non poterat Christus nostras reparare ruinas,
Nec poterat Patri condignam solvere poenam
Ni Deus atque homo conjunctus subsistit in uno.
Nec tribuenda Deo quae sunt humana putamus.
Tunc quidquid fecit Christus sub imagine servi,
Omne illud pretio summo, et sine fine carebit.
Nec poterat Christus moriens persolvere Patri
Mercedem meritam, et nostro pro crimine dignam.
Calcedone at Synodus collecta, et dogma nefandum
Damnatum fuit a cunctis, Matrique Mariae
Nomen concessum, et divinae Matris honores,
Nestoriusque tulit dignam pro crimine poenam.
Vermibus esca fuit, fuerat quae lingua locuta
Hoc tantum scelus, atque aliis exempla reliquit,

Et monuit nunquam divinam spernere matrem.
Spiritus a Patris et Nati procedit amore
Sanctus, et ille Deus cum Patre, et cuncta creavit
Et nato, Patri, Natoque per omnia compar.
Hic est, nostra suis qui replet pectora donis,
Quo sine nil Sanctum, nihil est sine crimine culpae;
Quo sine nemo potest vitalem ducere vitam,
Quae sit digna Deo, et quae nos facit usque beatos.
Hoc dogma est ausus Macedonius ille negare,
Cujus erit nomen per saecula cuncta nefandum.
Impius a cunctis damnatus protinus error,
Spiritui et Sancto, qua occasu Solis ad Ortum
Maxima terra patet, divinos praebet honores.
Perdidit omnis homo primaevi labe parentis
Maxima dona Dei, nullum illi ad gaudia Coeli
Jus superest; deus et ni firmet robore, nunquam
Viribus ille suis potis est percurrere callem
Virtutis verae; et naturae pondere lapsae
Fertur ad omne malum, potis est nec surgere terra.
Pelagius docuit, vir terque quaterque superbus,
Per se posse hominem virtutis tramite verae
Currere, posse Dei leges servare jubentis.
Protinus hic error damnatus: cepit in illum
Arma Augustinus, toto celebratus in Orbe.
Dogmata Calvini referam post saecula multa,
Caetera praeteriens, Lutheri et dogmata falsa,
Pontificem in summum qui protulit impia verba,
Impulsus crudeli odio, rabieque canina....
Eloquar, an sileam? sed tristia cuncta silebo:

Namque animus meminisse horret, luctuque refugit.
Hoc tantum dicam, fidei quod dogmata nostrae
Omnia sunt ausi perstricta fronte negare,
Quae Patres Sancti, et Synodi statuere vetustae.
Omne novum placuit, dum cuncta vetusta negarunt;
Atque novatorum merito sunt nomine dicti.
Serius at quamvis Synodus collecta Tridenti
Falsa novatorum damnavit dogmata cuncta.
Et quamvis regio septem subjecta trioni
Lutheri aut Calvini est dogmata falsa secuta;
Pontificem et Summum spernens discessit avita
Religione salutis aberrans tramite recto;
Partibus occiduis nova tellus dissita nobis
Credidit in Christum: sic tristia damna refecit
Religio, et toto felix dominatur in Orbe.
Sic tulit haec quintum crudeli de hoste triumphum.

VI. Triumphus De Atheismo

Philosophia recens, nostri et sapientia saecli
Cuncta per ora virum volitans ad sidera fertur.
Barbaries abiit, dicunt, lux fulget in orbe.
Mens tandem praejudiciis exuta vetustis.
De luce at tanta volumus si dicere verum;
Nec praesentis amor seducit pectora saecli,
Pace tua, praesens saeclum, quod sentio dicam:
In rebus physicis multum profecimus; auctum
Est mentis lumen: Critica ars, quae plurima vera
Credita sunt olim, detexit falsa; nec omnes
Ut pecudes currunt, jurantque in verba magistri.
At quae lux nimia est, oculos nil cernere cogit

Et multi propero cursu labuntur et errant.
Quae natura homini concessit, juraque quanta,
Ignorat nemo: jura haec tolluntur ad astra.
Dicunt: liber homo, nullis et nostra regenda
Libertas fraenis; stat pro ratione voluntas.
Ergo jugum regum, quod terque quaterque molestum
Est humeris nostris, placet hoc depellere nobis.
Vivere pro lubitu placet, et sine lege vagari.
Ergo Pontificis Summi qui munere fulget,
Sacri et Pastores spernantur ubique per Orbem.
In nullum illorum: hae saecli sapientia falsa.
At meminisse animus refugit quae tristia damna
Hinc fuerint, et adhuc remanent vestigia luctus.
Vidimus huc illuc regum de gente vetusta
Progenitos reges varias errare per urbes;
Et quamvis nullo maculatos crimine vitae
Vidimus hos vitam sub duro perdere ferro;
Et capitolina qui summus in Arce sedebat,
Vidimus expulsum solio tot ferre labores;
Purpureos patres discedere ab urbe coactos,
Templaque strata solo, caedes et bella cruenta.
Religio at Christi perversa haec dogmata damnat.
Namque docet reges terrae regnare per illum,
Qui rex est regum, e coelo qui cuncta gubernat.
Laedere quae reges, illorum et spernere jussa
Usque vetat, jubet atque illis persolvere censum,
Pontifici et Summo condignum reddere cultum,
Pastorumque greges Christi non temnere jura.
At reges tandem ad solium rediere paternum;

Septimus et Pius insignis pietate reversus
Ad sedem Petri toto regnavit in Orbe.
Nobilitas quanta est nostrae et praestantia mentis,
Unicuique patet quam omnes ad Sydera tollunt.
Nostrae igitur mentis quae sunt superantia captum
Spernere philosophi certant, ridentque cachinnis.
Religio at Christi, quae sunt impervia nostrae
Menti plura docet, Christum esse hominemque Deumque;
Esse Deum trinum atque unum: de Virgine Matre
Natum hominem Christum, nostrosque tulisse labores;
E nihilo mundum, et primaevi labe parentis
Esse homines omnes damnatos solvere poenam,
Et vita functos revocandos esse sepulchris;
Fecisse in terris Christum miracula multa,
Multaq; naturae vires superantia cunctas.
Philosophia recens negat haec, tamen esse putantur
A nobis vera, atque omni credentur in aevo.
Et scelus et vitium, placuit, semperque placebit
Philosophis nostris: falsa haec sapientia saecli
Posse hominem docuit vitiorum solvere fraena.
Ergo Deus nullus, qui det pro crimine poenam,
Consulit et cunctis, existit: cuncta reguntur
Fortuito casu, mors ultima linea rerum est:
Materies est in nobis quod cogitat omne:
Haec sunt praesentis falsissima dogmata saecli.
Vera fides Christi haec damnat, semperque manebunt
Damnata a multis; numen super omnia Summum
Innumeri credunt, poenam, vel praemia factis

Quod reddat, poenasque dabit sine fine futuras.
Partibus haud ullis animum constare, nec omnem
Desinere esse hominem, nec mortem solvere cuncta,
Religio haec Christi docuit, semperque docebit.
Quae sua dum sibi salva videt, multisque probari
Dogmata nil metuit, moestis sic vocibus omnes
Implet ubique locos, atheis dum talia fatur:
» Cur odium tantum in me, quae vos saeva cupido
» Me damnandi urget? tandem resipiscite Fili.
» Opposui haereticis divina oracula cunctis,
» Quae docuere Patres, Synodi et statuere vetustae.
» Ausus nemo fuit divina oracula patrum
» Spernere vel dicta; et plures rediere salutis
» In rectum callem; at vos semper pectore duri
» Risibus excipitis multis sanctissima quaeque.
At minus est surdum saxum, vel inutile lignum,
Truncus iners, quam Athei sunt surdi vocibus istis:
Qui dum virtutem fingunt, et saepe loquuntur
De summo Ente, Deum nam nolunt dicere, deque
In nostros similes, non fratrum, semper amore;
Hic est moralis, dicunt, ille alter honestus,
Reddens cuique suum; nimium ne crede colori.
Illudunt Athei virtutis imagine falsae.
Religio, fateor, non pauca accepit ab illis
Damna, accepta tamen subito reparata fuere.
Quae magnae gentes spernebant Dogmata Christi,
Pontificis Summi spernebant omnia jura,
Quemque sinunt hodie venerari dogmata Christi;
Pontificis Summi primatum agnoscere justum;

Pastores veri Christi statuuntur ubique ,
Gentibus et cunctis tolluntur maxima templa.
Sic et vera fides magis est firmata per Orbem ,
Religio et retulit sextum de errore triumphum.

VII. Triumphus De Tempore.

Olim Saturni expressum sub imagine tempus ,
Quem natos omnes vates finxere vorantem ,
Omnia quod pereunt , consumit et omnia tempus ,
Omnia cui cedunt , vincuntur tempore cuncta.
Labitur orta dies , celeres labuntur et horae ,
Et celeri gressu menses labuntur , et anni.
Tempora temporibus succedunt quattuor anni ,
Lustraque praetereunt , diuturnaque saecula currunt ;
Nascitur omnis homo , caeduntur stamina vitae.
Nascitur omne animal, vario et pro tempore cessat.
Tempore consueto plantae nascuntur et herbae ,
At post arescunt , moriuntur tempore cuncta.
Ægipti moles tollentes culmen ad astra ,
Sumptibus immodicis , magno et molimine factae ,
Jamque sólo cecidere annorum pondere victae ,
Et vix reliqiuae , disjectaque saxa supersunt.
Templa tot augusta , atque altis innixa columnis ,
Nunc collapsa manent ; superest et nomen inane.
Templum quod Salomon (Deus hoc construxerat ipse)
Fecerat Augustum , quo vix augustius unquam ,
Decidit , exusta et flammis sunt moenia ; tantae
Nunc ne parva quidem remanent vestigia molis.
Maxima Thebarum Urbs totum celebrata per Orbem

Ædibus immensis, centum circumdata portis;
Diruta jamque fuit, peregrino ignota siletur.
Persarum imperium, cui plurima regna fuere
Subdita, parebant cui millia multa virorum,
Debuit extremo et communi cedere fato.
Decidit Imperium Romae, quae condita parvis
Crevit principiis, occasu at solis ad ortum
Armis quotquot erant gentes sibi subdidit omnes:
Imperium majus primaeva ab origine Mundi,
Quo nunquam orbe fuit, nec erit per saecula cuncta.
Gallia, et Haesperia, et Germania, Graecia, et omnis
Insula, pars Asiae, Lybia, et Numidia tota,
Et quasi terra omnis Romae pendebat ab ore.
At conscriptorum sapientia maxima Patrum
Hoc tantum imperium bene sic firmavit, ut ictum
Hostibus innumeris steterit per saecula multa.
Hoc tandem cecidit: regna hinc sunt plurima nata,
Et Romae imperium toto dispescitur Orbe.
Sic est: cuncta cadunt; vincuntur tempore cuncta.
Ænea vel duro conflata e marmore signa,
Machina sit quaevis, bene sit constructa, manumque
Artificis sapientem omnes mirentur in illa,
Tempore victa fuit, partesque soluta per omnes.
Religio una fuit, quae nullum temporis ictum
Extimuit, mansitque eadem, semperque manebit,
Haec Adae fuerat, cum nondum expulsus ab horto
Culpa erat innocuus, maculaque immunis ab omni.
Haec Adae fuerat polluto crimine culpae.
Haec eadem Moysi data cum lex scripta vigebat,

Haec eadem mansit Christi firmata cruore.
At cur Religio est eadem semperque manebit?
Est opus illa Dei, Coelo et descendit ab alto.
Si Deus est unus, si plures esse repugnat,
Si Deus usque jubet verae virtutis amorem,
Religio est una, ac eadem, nunquam exulat Orbe;
Atque eadem constans per saecula cuncta manebit.
At quid Religio, quae illi sit forma decusque,
Dicere nunc praestat, si dicere tanta licebit.

In Naturam Religionis.

Religio est templum, quo nil augustius unquam
Esse potest homini; Deus hoc construxit et ipse.
Partibus haec aedes constat, constructaque recte
Artificis summi est opus, et mirabile visu.
At quae sunt partes, et quo sunt ordine secum
Dispositae: haec postrema mei pars Carminis esto.
Est sincera fides fundamen; ponitur isto
Relligio fundamine, quod descendit ad imum.
Vera fides est, cum mentis superantia captum
Credimus, atque Deum nos posse docere fatemur.
Cum parvi efficimur, nostraeque Superbia mentis
Deprimitur, fideique sumus cum lumine ducti
Ut caeci, ut pueri, jurant qui in verba magistri.
At quibus est templi moles innixa columnis?
Est una at firma moles innixa columna,
Haec est spes animi, nullo turbata timore,
Quod Deus et velit, et possit succurrere nostris
Rebus, et in Coelo quod praemia digna rependet.
Quo magis adversis rebus versamur, et omne

Defuit auxilium humanum, naturaque nostra
Pressa malis sibi diffidit, confidit et illi,
Qui deus omne potest, inopesque ad sydera tollit;
Hoc spes firma magis: Summo spes firma parenti
Quam placet! Haec grata est illi prae thuris odore,
Et prae muneribus cunctis, quae ad templa feruntur.
Et mala dum vexant, vexatus pectore ab imo
Has mittit voces: deus est qui cuncta gubernat:
Qui in Dominò sperat, nunquam confusus abibit;
Et licet occidat, sperabo semper in illo.
At templi tectum splendet laqueare decorum:
Est amor hoc laquear, nostro quod pectore fervet,
Quo legem servare Dei sumus usque parati,
Ut ne regna juvent, regum nec munera cuncta,
Servandae legis cum sunt obstacula nobis.
Dum nostrum pectus divino fervet amore,
Dicimus ex animo: omne bonum super omnia summum
Est Deus: hoc unum posco; hoc si detur habere,
Jam sum contentus, sum ex omni parte beatus.
Hic amor usque deo placet, haec pulcherrima vestis,
Qua nos induti caelesti accumbere mensae
Possumus, et Coelis per saecula cuncta beari.
Hac sine nemo potest coelestem vivere vitam.
Hic amor est, quo nos toto de pectore semper
Prosequimur fratres; Deus hoc nam praecipit ipse.
Quod tegit hoc templum, pars est haec altera tecti.
Odimus hoc nunquam fratres, amplectimur omnes:
Et mala si faciunt nobis, sumus usque parati
Parcere, ferre et opem, et facimus ferventia vota,

Ut Deus hos cumulet caelesti munere semper.
Omnes virtutes verae, et virtutis amore
Nascentes ornant augusti maenia templi.
Justitia erga alios, prudentia rebus agendis,
Temperies animi in cunctis, constantia mentis
Rebus in adversis decorant haec maenia templi.
Victima grata Deo, quae templo offertur in isto,
Est homo quidquid habet, vita ipsa, affectus et omnis.
Dum sibi nil servans se offert noctuque diuque
Ille Deo, et regi regum, summoque datori.
Victima grata deo quae templi offertur in ara?
Ara est ipsum hominis Cor, mundum crimine culpae,
Quodque Sacerdotis peragit venerabile munus.
Thurea dona, preces, quae thuris more feruntur
Sursum, suntque Deo gratae prae thuris honore.
Victima sed melior, quae templo offertur in isto,
Et quae sola potest humanas tollere culpas,
Cujus et intuitu nos, nostraque dona placebunt
Usque Deo, est Christus, qui Coelo missus ab alto.
In Cruce pro nobis est Patri victima caesa.
Hic est occisus primaeva ab origine mundi
Agnus; Abel Christum expressit, Paschalis et agnus,
Et quae a Judaeis animalia caesa fuere
In templo sine fine, agni, tauri, et caper ille,
Quo populi culpas divina ex lege Sacerdos
Summus ponebat cunctas, illumque ferebat
Extra Castra Dei jussu, et jaciebat ab alto.
Perque orbem totum Æterno haec oblatio munda
Offertur Patri, qua nunquam gratior ulla.

Christus in Altari sub vini et tegmine panis
Omnem se praebet Patri, se praebet et omnem
Humano generi, nostraeque fit esca salutis.
Felix qui Christo oblato se jungit in ara:
Hunc Pater accipiet, Coelique ad gaudia summa
Cum Christo, ut regnet per saecula cuncta, vocabit.
Vae tamen est homini, qui vivit scissus ab illo.
Si tamen est vivens, qui vita scinditur ipsa:
Vitae humor Christus nobis, et vita perennis.
Nil prodest Christus, nisi te conjunxerit illi
Relligio, nisi utrumque simul sit faedere junctum,
Nil juvat alterutram; nituntur et hisce duobus
Cardinibus mundique salus, atque ostia vitae.
Salve, Christe Deus, perfectaque Patris imago,
Salve, Christe, hominum similis de Virgine natus.
Salve, Relligio, Soboles dignissima Coelo,
Salve, Relligio, virtutis semita verae:
Quod superest vitae pro vobis fundere vellem.
At cum sim tanto, fateor, non dignus honore,
Vos semper recolam, venerabor poplite flexo.
Vos veniente die, vos decedente vocabo;
Vos estis spes una meis fidissima rebus;
Dum mihi vox aderit, clamabo nocte dieque:
Vos estis columen vitae, vos dulce levamen:
Omnia vos estis, vos toto diligo corde.

FINIS.